



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Ervditione Religiosorum

Humbertus <de Romanis>

Ingolstadii, 1591

VD16 H 5888

Liber Quintus

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50980](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50980)


LIBER QVINTVS:

IN QVO OSTENDITVR QVO-

*modo qui est in religione, se de-
beat habere ad proxi-
mum.*

PRIMA PARS.

DICTO in præcedenti libro, quot mo-
dis, qui est in religione, debeat ordi-
nare animum: In hoc quinto libro o-
stendendum est, quomodo se debeat
habere ad proximum. Et primo generaliter hoc
ostendetur deinde specialiter descendetur ad
diuersitates personarum. In principio, status vi-
uentium sub obedientia & in societate com-
mendabitur. Secundo, quantum sit necessaria
sociabilitas his qui in societate sunt victuri vs-
que ad finem vitæ suæ, ostenditur. Tertio age-
tur de his quæ ad sociabilitatem pertinent. Pri-
mò de vnitate: secundò de innocentia: tertio de
dilectione: quartò de mutuo honore. Deinde
de Prælatiis, subditis, & ministris, & de his qui
pauperes fuerunt in seculo: & de his
qui fuerunt diuites: & de
infirmis.



De

De commendatione viuentium sub obedientia.

CAPVT I.

DVo pertinent ad commendationem status viuentium sub obedientia, & in societate scilicet commendatio obedientia, & commendatio societatis sancta. Et notandum, quod status in quo sub obedientia viuitur, valde laudabilis est. In illo enim statu multum virtuti adiicitur: triumphus nobilissimus acquiritur, meritorum abundantia cumulatur. Obedientia dei placito hominem certificat à sollicitudine sui ipsius eum exonerat: à periculo conseruat mentem castificat: hominem supra se leuat; status sui ciuium cœlestium assimilat. Per hanc acceptissimum Deo sacrificium offertur: per hanc Deus homini perfectè dominatur: per hanc multum glorificatur. Per hanc virtuti multum adiicitur: cùm enim Sapiens dicat: hoc solim virtuti adiicies, quod propriae voluntati detraxeris: quantum virtuti adiicitur, cùm per obedientiam propria voluntas omnino amputatur? Est enim obedientia subiectio qua homines spontaneè intuitu Dei, alterius hominis subditur voluntati. Additionem verò ad virtutem sequitur additio ad præmium. Ideo præmium viuentium sub obedientia valde magnum est sicut ostensum est cuidam patrum in extasi posito, qui vidit 4. ordines ante Deum. Primus erat hominum infirmantium, & gratias agentium. Secundus erat eorum qui fuerant hospites. Tertius eorum qui solitudinem sectantur, & non vident homines. Quartus illorum qui propter Deum

Deum & obedientiam sollicitè sunt patribus subiecti. Erat hic ordo superior aliis tribus, & maiorem gloriam præ cæteris habebat, vt ære torques aurea. Et cùm quæreret senex, Quare hoc? responsum est ei: Quoniam omnes alij habent aliquam requiem adimplendo proprias voluntates, quamuis in bonis operibus: hic autem omnes proprias voluntates relinquens, totus pendet à voluntate patris iubentis. Item cùm valde virtuosum fit, quòd aliquis voluntatem viuendi relinquit, & pro Christo morti se exponit: quantum virtuosum est cùm aliquis omnem propriam voluntatem relinquit, & pro Christo alienæ voluntati se subiicit? Per obedientiam nobilissimus triumphus acquiritur. Nobilissimum enim genus triumphi est vincere seipsum, quod facit obediens. Vir obediens loquitur victorias. Et super illud: Melior est obedientia quàm victimæ, dicit Gregorius. Glos. Dum enim alienæ voci humiliter subdimur, nosmetipsos in corde superamus. Melior est qui dominatur animo suo, expugnatore urbium. Multi vrbes & regna subiugauerunt sibi, qui tamen ad hunc nobilissimum triumphum non peruenerunt. Hic triumphus proprius est hominis. Vincit leo vel aliud animal cætera animalia: seipsum autem vincere non potest. Seneca: Qui seipsum vincit, contra omnia fortis est. Per obedientiam, meritorum abundantia cumulatur. Dum aliquis intendit propriam facere voluntatem, non videtur mereri, nisi apud seipsum mereatur. Ab illo enim merito merces expectatur, cui seruitur, cuius voluntas impletur.

*Pro. 21.**Ibid. 16.*

tur. Non meretur ergo apud alium, nisi qui vult
facere alienam voluntatem: quod est obedienti-
tiae. Augustin. Oportebat vt homo sub domino
positus, ab aliquo prohiberetur: vt esset ei vir-
tus merendi obedientiam. Obedientia facta est
quasi nauis institoris. Qui in nauis est, etiam qui-
escens, comedens & bibens, procedit: mouetur
enim motu alieno. Similiter obediens qui est in
religione, quiescēdo, bibendo, comedendo, me-
retur. Obediētia hominē de Dei placito certifi-
cat. Nisi enim apertē sit malū, quod à superiore
præcipitur: sic accipiendum est, ac si à Deo præ-
ciperetur. Luc. 10. Qui vos audit, me audit: Ben-
Quicquid vice Dei præcipit homo, quod non fit
tamen certū displicere Deo: haud secus omnino
accipiendum est, quàm si præciperet Deus. Obe-
dientia in huius mundi tenebris vicem supplet
discretionis. Bern. Rara avis in terris, discretio:
ideo locum discretionis suppleat in vobis vir-
tus obedientiæ: vt nihil plus, nihil minus, nihil
aliter quàm imperatum sit, faciatis. Obedientia
hominē à sollicitudine sui ipsius exonerat. Alij
enim incumbit sollicitudo & spiritualiter, & tē-
poraliter, pro illo qui est in religione. Vnde cum
alleuiatus sit etiam à seipso, valde reprehensibile
est in eo, si pigritia torpet, & non proficit: valde
fatuus est, si tantū onus resumit. Bernardus su-
per Cant. Qui vestri curam semel nobis tradidi-
stis, qd rursus vos de vobis intromittitis? Obe-
dientia hominē à periculo conseruat. Ipsa qui-
dem quasi equus vadit: alieno enim sensui & a-
lienæ voluntati quasi alienis pedibus innititur,
ideo nec maculatur, nec læditur. Inquinatio e-
nim

*In li. de di-
spē. & præ-
cept. ante
med. libri.*

nim & læsio imperantis est, & nõ obediens, nisi
 manifestè sit malum quod imperatur. Ad eam
 potest dici illud: In manib⁹ portabunt te, ne for- *Psal. 4.*
 tè offendas ad lapidem pedem tuum. Obediẽtia
 mentem castificat à libidine proprię voluntatis,
 secundum illud: Animas vestras castificantes in *1. Pet. 1.*
 obediẽtia charitatis. Sicut ramus arboris nobi-
 lis arborem syluestrem domesticam reddit: sic *Lib. 35. mo-*
 obediẽtia mentem libidinosam reddit castam. *ral. cap. 12.*
 Greg. Sola obediẽtia virtus est, quę cęteras vir-
 tutes mēti inserit, insertasq; custodit. Obedien-
 tia hominem supra se leuat. Leuauit se supra se. *Tren. 3.*
 Nisi corpus sociatũ esset spiritui, vt sensu eius &
 imperio regeretur, nõ ascenderet ad hoc, vt re-
 muneracionem æternam mereretur: sic vir sim-
 plex per obediẽtiam ascendit ad sapientiam, &
 mores maiorum, à quibus regitur, imò quodã-
 modo ad Deum ascendit, dum seipsum quodã-
 modo exuit, & Deum induit. Viuo ego, iam non *Gal. 2*
 ego: viuit verò in me Christus. Obediẽtia sta-
 tui cęlestium ciuium asimilatur. Ipsa est ima-
 go hominis cęlestis, sicut inobediẽtia est ima-
 go hominis terreni, sicut portauimus imagi-
 nem terreni, portemus & imaginem cęlestis. *1. Cor. 11.*
 Obediẽtia facit vt Dei voluntas sic fiat in terra,
 sicut fit in cęlo. Per obediẽtiam acceptissimũ
 Deo sacrificium offertur. Greg. Melior est obe- *Li. 35. mor.*
 diẽtia quàm victimæ: quia per victimas aliena *cap. 12.*
 caro: per obediẽtiã verò propria caro macta-
 tur. Obediẽtia quasi quoddam martyrium est.
 Obediens quasi caput proprium pro Christo si-
 bi amputat, & caput sibi cõstituit Christum, vel
 illum qui loco Christi est, Gregor, Tanto Deum
 quisque

35. moral.
cap. 12.

Matth. 16.
Isa. 18.

1. Reg. 2.
Eccl. 10.

quisque citius placat: quanto repressa sui arbitrij superbia, gladio præcepti se immolat. Per obedientiam Deus homini perfectè dominatur. Qui hanc promittit, dominio suo se exuit: & illum qui locum Dei tenet, in possessionem sui ipsius ponit. Si quis vult post me venire, abneget seipsum. Per hanc Deus glorificatur. Si glorificaueris eum, dum non facis vias tuas, & non inuenitur voluntas tua, vt loquaris sermonem tunc delectaberis super domino, &c. Multum glorificat Deum verus obediens, qui paratus est facere eius beneplacitum, etiam si mandatur per vilem personam; ideo meritò ab eo glorificabitur. Quicumque honorificabit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. Semen hominum honorificabitur hoc, quod timet Deum: semen autem hoc non honorabitur, quod præterit mandata Domini.

De commendatione sanctæ societatis.

CAPVT II.

AD commendationem sanctæ societatis attendendum, quòd desideranti propriam salutem societas mala valde est fugienda, solitè timenda, societas bona amanda & eligenda. De periculo societatis malæ require sup. lib. 1. cap. 8. Qui mundum relinquit timore periculo societatis, valde insipienter agit, si scienter claustrum dissolutum eligat: vel si postquam futurum talis claustrum cognouerit, ibi remaneat. Societas multum iuuat ad salutem, si bona sit: multum impedit, si mala sit; & tanto societas periculiosior, quanto maior. Vnde cum maximè

fit societas religionis, difficilius saluatur aliquis in religione dissoluta, quàm in seculo. Periculum suum videtur amare, qui nauem religionis intrat, quam conspicit perire: vel hoc cognito, vult ibi remanere. Talis meritò perit. Qui amat periculum, in illo peribit. Qui claustrum corruptum intrat, cito ibi corrumpitur, etiamsi ante erat bonus. Sapiens: Sincerum nisi sit vas, quodcunque infundis acersit. Si modicum fermenti totam massam corrumpit, quanto magis multum fermentum modicam massam corrumpit? Difficile est bonitatem vnius, malitiæ multitudinis resistere. Parua allocutio serpentis mulieri primæ occasio fuit mortis: & societas mulieris virum corrumpit. Non est societas mala sine diabolo, nec bona sine Deo. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, in medio eorum sum. Qui societatem malam amat, diaboli societate videtur amare. Timenda est solitudo, maximè homini infirmo & inexperto. Non est bonum hominem esse solum. Væ soli. Cùm non fit homo sine mali suggestore & impugnatore, non est ei tutum esse sine consultore, custode & adiutore. Bernardus cuidam moniali volenti transire à congregatione ad eremum: volenti, inquit, perperam agere, & desertum abundantiam habet, & nemus vmbra, & solitudo silentium. Malum quod nemo videt, nemo arguit. Vbi non timetur reprehensor, securus accedit tentator, & facilius perpetratur iniquitas. Idem. Audiant qui sine præceptore vias vitæ aggredi non formidant: ipsi sibi existentes discipuli & magistri. Seductori dat

Eccl. 1.

1. Cor. 5.

Gen. 3.

Matth. 18.

Gen. 2.

Eccl. 4.

*Epist. 115.
parum ante
remediũ.*

Q ma-

*Serm. 77.**Super Cant.**à medio.**Eccl. 4.*

manum, qui dare dissimulat præceptori. Ei qui dimittit oues in pascua sine custode, pastor est non ouium, sed luporum. Melius est duos esse simul, quàm vnum. Quod status sanctæ societatis præligendus sit statui solitudinis, ostendi potest per hoc, quòd ad creaturam duo pertinent scilicet bonum dare alteri, & recipere ab altero. Habet enim vim actiuam & passiuam, collocatiuam, & susceptiuam: & quantum ad vtrumque melius est esse duo simul quàm vnum. Si ille qui est in multitudine, habet aliquam gratiam, gratia illa pluribus proficit. Si solus esset oculus, perurum prodesset visus eius. Nunc verò cetera membra corporis habent in eo, quantum necesse est eis. Manus enim & pedes per eum in sua operatione diriguntur. Visu etiã aliqua noxia vel salubria olfactui, gustui, auditui, perpeduntur. Et societate etiam cæterorum membrorum multa bona recipit oculus. Si solus esset, multis indigeret, vt ambulatione ad appropinquandum his quæ desiderat: quæ appropinquatio fit pedibus. Indigeret etiam attrectatione, quam habet in manibus: item discretionem noxiorum, quæ retro appropinquant: quæ habetur ex auditu. Discretionem foetoris aëris corrupti, quæ habetur ex olfactu. Sustentatione, quæ habetur ex gustu. Si homo ex societate bona multa bona recipit. Multa enim necessaria corpori vel animæ, quæ non habet in se, habet in sociis suis. Et possumus tangere duodecim emolumenta, quæ habentur ex societate bona. Primum est Dei indulgentia. Parcitur enim ei aliquando à morte, vel alia pena, quã meruit, gratia societatis. Vnde dicit Dns

Abraham

Abrahe: Si inuenero quinquaginta iustos in me- *Gen. 18.*
 dio ciuitatis, dimittā omni loco propter eos. Se-
 cundum est sanctificatio seu gratiæ susceptio.
 Carbo mortuus cum uiuis positus uiuificatur, &
 peccator in societate bona iustificatur. Cū san-
 cto sanctus eris. Sanctificatur vir infidelis p mu-
 lierem fidelem. Quāto magis multitudo bono- *1. Cor. 7.*
 rum vni malo sanctificationis occasio erit? Ter-
 tium est prouocatio ad proficiendum. Si aliquis
 tepidus est in societate bona, exemplo aliorum
 accenditur, & feruēs efficitur. Si solus est, rema-
 net in tepiditate sua. Vnus quomodo calefiet? *Eccl. 4.*
 Quartū est fulcimentū. Si vnus ex nimia debili-
 tate, vel oneris magnitudine, vel cōtinua hostis
 impulsione casui appropinquat, ab aliis sustēta-
 tur. Si vn⁹ ceciderit, (hoc est, casui appropinqua- *Ibid.*
 uerit) ab altero fulcietur. Quintū est subleuatio: *Ibid.*
 si cōtingat eum omnino cadere. Si ille qui solus
 est cadat, nō habet subleuātem: ideo vā illi. Sex-
 tum est custodia, qui in bona societate est, quasi
 plenus oculis ante & retro. Si aliquod malum in
 eo appareat, ostenditur ei, vel prælato qui habet
 eum corrigere. Erubescencia & reuerentia alio-
 rum à multis malis refrenatur: & sic fratres qui
 sunt vnus congregationis, mutuò se custodi-
 unt. August. in regu. Quando simul estis in Ec- *In 3. reg. cir-*
 clesia, & vbicunque sunt scēminæ, inuicem, pu- *ca med. sl-*
 dicitiam vestram custodite. Deus enim qui ha- *lius.*
 bitat in vobis, etiam isto modo custodiet vos ex
 vobis. Societas bona terribilis est hostibus, vt
 castrorū acies ordinata. Septimum est eruditio.
 Qui enim est in societate, cōsiliū habet & do-
 cētrinam ab aliis, quod multum necessarium est

Q 2 ei

Pro. 24.
Ibid. 12.
Eccl. 6lt.
Eccl. 18.
Pro. 18.
Eccl. 4.
Matth. 18.
Lib. 3. pa-
stor. cap. 11.

ei qui incendit per semitam viæ religioſæ, vbi error multos impedit à profectu, ſicut filij Iſrael errauerunt in deſerto. Erit ſalus, vbi multa conſilia ſunt. Doctrina bona dabit gratiam. Octauum eſt exhortatio, quæ pigris eſt neceſſaria, qua ad bonum ſtimulentur; Verba ſapientum quaſi ſtimuli. Nonum eſt conſolatio ſpiritualis quæ multum eſt neceſſaria his qui carnalem delectationem renuunt, & conſolatione diuina nondum digni ſunt. Multum valet verbum conſolationis contra æſtum tribulationis. Nonum ardorem refrigerabit ros, & verbum melius quàm datum? Decimum eſt victoria de hoſte. Frater qui adiuuatur à fratre, quaſi ciuitas ſirma. Si quiſpiam præualuerit contra vnum, duo reſiſtent ei. Vndecimum eſt exauditio in oratione. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo. Deus multoties exaudit multitudinem, quando vnum non exaudiret. Duo decimum congratulatio. Non ſolum bonum fratres habitare in vnum, imò iucundum. Charitas quæ veritati congaudet, in ſocietate bonorum & magna multam materiam gaudij & recipiendi præbet. Ratione congratulationis, omnia bona dicuntur eſſe charitatis. Gregorius. Penſentis vidi quantum bonum eſt charitas, quæ ſine labore noſtro aliena bona noſtra facit. Conuenientiſſimus modus acquirendi bonorum abundantiam, eſt per ſocietatem. O quantum bonum eſt materiæ, ex ſocietate formæ. Quantum bonum eſt carni ex ſocietate animi. Quantum bonum eſt humanæ naturæ ex ſocietate diuine nature

naturæ cum humana in Christi persona. Quantum bonum est electis & hominibus & angelis, ex societate beata, quam habent cum Deo. Et notandum quod qui est in bona societate, habet inde emolumentum, & in vita, & in morte & post mortem. De emolumentis quæ habet in vita, satis patet ex prædictis. Emolumentum quod habet in morte, est securitas. Securior est transitus per locū periculosum cum societate, quàm sine societate. Vnde cum transitus mortis valde sit periculosus, magna securitas est illi, quem bona societas in morte orationib⁹ iuuat. Transitum istum timebat Bernardus cum dicebat in meditat. suis. O anima mea, quis erit ille pavor, cum tibi occurentia cateruatim illa teterrima monstra videbis? Emolumentum post mortem est fratrum subuentio. Qui in sancta societate est, quando moritur, ipse in suis fratribus viuit, qui ei post mortem suffragamur.

*Quàm necessaria sit sociabilitas illi qui est
in religione.*

CAPVT III.

Commendato statu viuientium sub obedientia, & in societate, ostendendū est, quàm necessaria sit sociabilitas illi qui in societate secundum professionem suam semper debet viuere. Sociabilitatem verò intelligo gratiam habendi se debito modo cum proximo. Quæ autem ad hanc sociabilitatem pertineant, in parte ostendit Bernardus his verbis: Arbitror quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, si ordi-

*Serm. 1. in
fest. Apost.
Pet. et Pau.
post med.*

Q₃ nabi-

nabiliter, sociabiliter, & humiliter viuis: ordinabiliter tibi, sociabiliter proximo, humiliter Deo. Et subdit: Sociabiliter, vt studeas amari & amare: blandum & affabilem te exhibere: supportare non solum patienter, sed etiam libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morū, quam corporum. Circa sociabilitatem notandū, quod sicut membrum humani corporis coniunctionem sui ad cætera membra naturaliter amat; sicut tremor indicat quem habet, cū separatio sibi imminet, & dolor quem patitur, cū ab eis separatur, vel cum dislocatur: sic frater qui est in congregatione, iuncturam sui cōuenientem ad cæteros fratres debet amare, & separationem vel inordinatam coniunctionem timere: sicut accidentis esse, est in alio esse, sic membri esse, est cum alio esse. Et sicut membrū naturaliter appetit esse, & fugit non esse: sic naturaliter appetit vnitatem cum aliis membris, & timet separationem. Separatum est inutile: oculus erutus inutilis est, similiter & manus abscissa. Sic qui per apostasiam à congregatione separatur, inutilis efficitur: iuxta illud: Homo apostata vir inutilis. Si verò manens in cōgregatione ad fratres male se habet, in dolore viuit: & aliis doloris &urbationis caussa existit.

Pro. 6.

Commendatio vnitatis.

CAPVT IIII.

Cum vnitas in congregatione valde sit necessaria, cōmendanda est, vt ametur: diuindenda, vt plenius cognoscatur. Tangendum est etiā de his quæ eam efficiunt, vt ad eam acquirendam

rendam via sciatur: & de his quæ eam impediunt, vt caueantur. Notandum ergo quòd cùm gratia fit excellentior quàm natura, & Spiritus sanctus, à quo est vnitas sanctæ congregationis, excellentior quàm noster spiritus: corpus etiam mysticum, cuius caput est Christus, nobilius sit corpore humano: vnitas gratiæ corporis mystici multo amplius est amanda & seruanda quàm vnitas naturæ. Vnitas ista multū grata est Deo & sanctis eius, cōgregationi valde vtilis, dæmonibus valde terribilis. Quòd Deo multū grata sit, patet ex hoc quòd doctrina Christi ad eam efficiendam fuit. Qui nō colligit mecum, dispergit. *Matth. 12.* Christi est colligere, diaboli dispergere. Transi- *Ioan. 17.* turus de hoc mundo pro hac vnitate deuotè orauit: Pater sancte, serua eos quos dedisti mihi, vt sint vnum, sicut & nos. In passione quando membra corporis sui perfodi permisit, tunicam qua figurabatur vnitas corporis mystici, scindi noluit. Item quòd hæc vnitas multum grata sit Deo, patet ex hoc quod dicitur sponsæ: vulnerasti cor meū in vno oculorum tuorum, id est, in vnitate cōtemplatiuorum. *Cant. 4.* Vulnerasti, inquam, vulnere amoris. In tribus placitum est spiritui meo, quæ sunt probata coram Deo & hominib⁹. *Eccl. 25.* Cōcordia fratrum, &c. Quòd hæc vnitas placeat sanctis, patet ex hoc quòd tātum ex ea gratulantur, & tantum ad eam hortantur. Multum gratulabatur de ea Paulus, dicens: Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatē habentes. Ad eam etiā multum hortabatur: Obsecro vos vt idem dicatis omnes: & non sint in vobis schismata. *Phil. 2.* *1. Cor. 1.* Vnitas congregationi valde

Q 4

est

est utilis. Dum enim ipsa habet vnitatem & concordiam, à Spiritu sancto viuificatur & lætificatur: bona eius augentur, ab hostibus non superatur. Sicut membrum corporis humani coniunctum cæteris membris à spiritu creato viuificatur, separatim verò non: sic in corpore mystico, quod est congregatio fidelium, qui habent vnitatem ad inuicem, à Spiritu sancto viuificantur. Si verò diuisi sint ab inuicem, à Spiritu sancto non viuificantur. Diuisum est cor eorum nunc interibunt. Dum membra in corpore mystico vnitatem habent, bona eorum augentur & est eis congratulatio de bonis. Sed si fit ibi diuisio discordiæ, desolatio est ibi, & bonorum diminutio. Omne regnum in seipsum diuisum desolabitur. Hieronymus. Quomodo concordia parua res crescunt, sic discordia maxima res collabuntur. Vbi vnitas est, habetur de hostibus victoria: quia secundum Ambrosiũ omnis pugna vnanimiter aggressa, victoriam parit. Legitur de filiis Israël pugnaturis: Egressi sunt quasi vir vnus. Congregatio concors demonibus terribilis est: nec mirum: præsentiam enim Spiritus sancti, à quo est illa vnitas, indicat. Singuli etiam quodammodo habent virtutem omnium: quem vnus impugnat, omnes impugnant, & mutuo se defendunt. Congregatio in qua est vnitas, est velut murus firmus cum forti cemento, hostibus impenetrabilis: vbi verò deest vnitas, est velut murus sine cemento facile corruptus. In tali congregatione videtur impleta esse illa comminatio: Ierusalem in aceruum lapidum erit,

Osea 10.

Matth. 12.

3. Reg. 11.

Mich. 3.

De diuisione vnitatis.

CAPVT V.

ET notandum, quòd congregationi religio-
sæ necessaria est duplex vnitas scilicet inte-
rior & exterior. Vnitas interior idem est quod
vnanimitas: de qua Paulus commendat Timo-
theum: Neminem habeo tam vnanimem. De
hac etiam commendatur primitiua Ecclesia: *Phil. 2.*
Multitudinis credentium erat cor vnum & ani- *Actor. 4.*
ma vna. Habet autem hæc vnitas duas partes:
quarum vna pertinet ad intellectum, alia ad af-
fectum siue ad voluntatem. De prima habetur: *1. Cor. 1.*
Sitis perfecti in eodem sensu, & in eadem scien- *2. Cor. 13.*
tia. Item, Idem sapite. De secunda: Eandem cha- *Phil. 2.*
ritatem habentes. Vnitas exterior, quædam est *Rom. 15.*
oris, scilicet vniformitas laudis diuinæ. De qua:
Vno ore honorificetis Deum. Alia est vnitas la-
boris. De qua: Seruiant ei humero vno. Alia est
vniformitas victus & vestitus, de qua Augusti-
nus in sua reg. Sicut pascimini ex vno cellario, *In 3. reg.*
sic induamini ex vno vestiario. Alia est habita- *post med.*
tionis; de qua in psal. Ecce quàm bonũ & quàm
iucundum habitare fratres in vnum. Augusti- *Psal. 134. in*
nus. Iste versus valde dulcis, & suavis melodia, *princip.*
toto orbe notissimus, vt tuba Spiritus sancti di-
uisos corpore congregauit in vnum, & mona-
stera plurima peperit. Vnitas exterior, effectus
est interioris vnitatis: & eam indicat & conser-
uat. Diuersitas verò in exterioribus, vnitatem
interiorem dissipat, & diuersitatem animorum
designat.

Q s

Octo

Octo quæ valent ad vnitatem.

CAPVT VI.

ET notandum quòd 8. sunt, quæ valent ad di-
ctam vnitatem. Primum est vnio cum Deo,
qui est bonum vnū omnibus necessarium, suffi-
cientissimum: qui quantò à pluribus habetur,
tâtò à singulis amplius habetur. Qui ei adhæret,
vnus spiritus est cum eo. Et omnes qui perfectè
ei adhærent, ad inuicem vniuntur. Inter malos
vel bonos imperfectos potest esse discordia. In-
ter bonos perfectos est concordia. August. Pu-
gnant inter se mali & mali, pugnant etiam inter
se boni & mali: boni verò & boni, si pfecti sunt,
inter se pugnare non possunt. Proficientes &
nondum perfecti ita pugnant, vt vnusquisque
ex ea parte pugnet contra alterum, qua contra
seipsum. In vno quippe homine caro concupi-
scit aduersus spiritum, & spiritus aduersus car-
nem. Vnio verò ad temporalia, quæ multa sunt:
ocasio est diuisionis & discordiæ. Dicitur de
Loth & Abraham, quòd substantia eorum mule-
ta erat, & non quibant cõmuniter habitare. Vn-
de facta est rixa inter pastores gregum eorum.
Amor bonorū, quæ à diuersis integrè possideri
non possunt, vnitatem impedit. Amor verò eo-
rū, quæ simul à diuersis perfectè possideri pos-
sunt, non. Secundum est separatio à cæteris re-
bus à Deo. Qui enim adhæret alicui rei præter
Deum, & non propter Deum, minus Deo adha-
ret. August. Domine minus te amat, qui aliquid
præter te amat, quod non propter te amat. Do-
minus volens Abraham perfectè sibi adhærere,
vult

1. Cor. 6.

Lib. 15. de
civitate Dei.
c. 5. in fine.

Gen. 13.

Lib. soliloq.
cap. 19. in
fine.

voluit eum separare à cæteris rebus: & dedit ei præceptum, vt separaretur à patria sua: & ab his, à quibus ortum duxerat, dicens: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui. Dedit etiam præceptum quo separaretur ab eo qui ortū duxerat ab eo scilicet ab vnigenito suo Isaac. Dedit etiā præceptum quo separaretur quodammodo à seipso: præceptū scilicet de circumcissione. Hoc præcepto voluit eum separare à se, quantum ad carnalia desideria. Circūcisio enim facta in carne monebat ad refecandum carnalia desideria: ideo fiebat in membro illo, in quo concupiscentia magis sæuiebat. Vnitas mala multum aduersatur vnitati Spiritus sancti. Aug. super Ioan. Est & mala concordia, est & bona dissonantia. Greg. Sicut noxium esse solet, si vnitas desit bonis; ita perniciosum, si non desit malis. In multis religionibus amor qui nō est secundum Deum, magis nocet quàm odium. Odium enim cauent multi, quia omnes sciunt illud esse malum: amorem verò, qui non est secundum Deum, non ita cauent. Voluit Dominum seruos suos etiam à charissimis separatos, vt ipsi perfectè essent ipsius. Voluit vt quasi odirent eos. Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, &c. non potest meus esse discipulus. Qui dicit patri suo, & matri suæ, nescio vos: & fratribus suis, ignoro illos, & nescierunt filios suos: hi custodierūt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt. Non veni pacem mittere in terram, sed gladium. Veni enim separare hominem aduersus patrem suum: Si quis Domini est, iungatur mihi, &c. occidat vnusquisq; fratrem,

Gen. 12.

Gen. 22.

Gen. 17.

Li. 34. mor.
cap. 3. in
princip.

Luc. 14.

Deut. 33.

Matth. 10.

Exod. 32.

&c

& proximum & amicum. Vnitas in religione quæ non est secundum Deum, multum est periculosa. Illa enim bonis resistit: malos robustiores & audaciores facit: correctionem impedit bonorum persecutionem auget. De resistentia habetur. Actor. 7. Dura ceruice vos Spiritui sancto resististis. Spiritui sancto resistit: qui bonis quæ fiunt à Spiritu sancto contradicit. De roboratione dicit Gregorius. Peruersos vnitas roborat: dum eos concordat. De audacia habetur Actorum 7. Impetum fecerunt vnanimitè in eum. Audaciores fuerunt, quia vnanimes. De impedimèto correctionis dicit Gregorius. Qui diuisi corrigi poterant: iniquitatũ suarum pertinacia vniti perdurant. Idem. Peruersos vnitas tantò magis incorrigibiles, quantò vnanimes facit. Iob. 41. dicitur de corpore diaboli, quod compactũ est squamis, scilicet defensionis, sequeprementibus. Vna vni coniungitur: & ne spiraculum quidem incedit per eas. Vna alteri adhærebit: & tenentes se nequaquam separabuntur; & in bono, & in malo sibi consentiunt: quod non est secundum legem amicitie veræ. Legem veræ amicitie secundum Sapientem, est, vnumquam turpe quid rogemus: nec rogati faciamus. De augmento persecutionis bonorum dicit Gregorius super Iob. Reproborum vnitas, bonorum vitam tantò durius premit, quantò se ei per collectionem durior opponit. Iosue 9. Congregati sunt vt pugnarent contra Iosue animo vno, eademq; sententia. Tertium est, timor Domini, qui offensas & scandala proximi cauet. Prouerb. 15. Per timorem Domini decet

*Li. 34. mor.
cap. 3.*

Pro. 15.

nat omnis à malo. Temeritas verò, nec Deum
 timet, nec scandala proximi cauet: sed congrega-
 tionem turbat, & Spiritum sanctum inhabi-
 tantem contristat: quod non est modicum ma-
 lum. *Ephes. 4.* Nolite contristare Spiritum san-
 ctum, in quo signati estis. *Matth. 18.* Quicumque
 scandalizauerit vnum è pusillis istis minimis,
 qui in me credunt: expedit ei vt suspendatur
 mola asinaria in collo eius, & demergatur in
 profundo maris. Quartum est humilitas, qua
 homo minus sentit de se quàm de aliis. Vnde
 sensum aliorum meliorem quàm suum repu-
 tans, facile sensum suum pro sensu aliorum di-
 mittit: quod multum valet ad vnitatem. Abun-
 dantia sensus interdum causa est discordiæ.
 Gregorius. Sæpè dum quosdam maior scientia
 erigit, à cæterorum societate disiungit: & quo
 plus sapiunt, à virtute concordia desipiunt. Hu-
 militas pacatissima est. Pacem autem videtur
 habere cum suo opposito, scilicet cum super-
 bia. Vnde superbus alium superbum non pati-
 tur: nec cum eo pacem habet. Tumor enim vni-
 us tumorem alterius pungit. Apud philosophos
 demonstratum est, quòd sphærica corpora quæ
 quasi tumida sunt, non possunt se contingere
 nisi in solo puncto: pungere se inuicem possunt,
 sed non rectè aut plane sibi inuicem applicari.
 Sic est de cordibus superbiorum tumentibus.
 Corpus concauum sphæricum intra concauita-
 tem suam potest recipere: sic & humilis cum su-
 perbo pacem potest habere. Superbus dum se
 dilatat, alios comprimit & conturbat: & scissuræ
 occasio existit. *Qui se iactat & dilatat, iurgia* *Pro. 28.*
 con-

Ephes. 4.
Matth. 18.

conciat. Bernardus. Dilatatio solet habere scissuram. Quintum est obedientia, quæ affectat alienam facere voluntatem, exemplo illius qui ait. Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam: sed voluntatem eius qui misit me. Unde agnita Dei voluntate quæ vna est, vel eius qui Dei locū tenet, eam eligit facere: quod multum valet ad vnitatem: cui obstinatio propria voluntatis multum contraria est. Bernardus loquens de illo verbo Luc. 2. Descendit cum eis, & venit Nazareth, & erat subditus illis, ait. Quis non erubescat obstinatus esse in consilio suo: quando sapientia ipsa suum deseruit? Sapientia quæ desursum est, pacifica est, modesta, sua sibi, bonis consentiens. Sextum est patientia. Homo iracundus & impatiens occasio est discordiarum. Vir iracundus suscitatur rixas: qui autem patiens est, mitigat suscitatas. Ad perfectam bonitatem pertinet malorum tolerantia. Gregorius. Quisquis malos non tolerat, ipse sibi per intolerantiam testis est, quia bonus non est. Abel enim esse reuult: quem Cayn malitia non exercet. Septimum est amor pacis. Pax est quasi quoddam vinculum, quo membra in corpore mystico coniunguntur. Solliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Ad hanc pacem secundum glossam pertinet, ut bona nostra inuicem diligamus, & peccata, quæ sine damno tritici eradicari non possunt, vsque ad messem vltimam toleramus; & perfectionis opera, quæ facere & non facere licet, ne infirmi scandalizentur, non facere dispensemus. Magnum bonum est pax, nec dat

Ioan. 6.

*In ferm. de
mersione
Naaman
in Iordane
Ec.*

*Tempore
resurrectio
nis à me-
dio.*

Pro. 26.

*Li. 20. mor.
cap. 29. in
princip.*

Eph. 4.

*Glossa ord.
ad illud in
vinculo
pacis.*

dat eam Deus non amanti eam, sed quærenti ipsam cum magno desiderio ipsius. Inquire pacem & persequere eam. Quidam pacem oblatam recipere: sed eam primo non quærunt. Hi non videntur intelligere, pacem, hæreditatem esse Christianorum. Si enim scirent se exhæredatos ab eo quod Christus eis legauit, non expectarent quòd alius eos incitaret ad hæreditatem suam recuperandam. Pacem sequimini cum omnibus. Pax est, vbi repugnantia non est. Vnde glossa super illud. Beati pacifici. Vera pax est, vbi nihil repugnat. Octauum est linguæ custodia. Sicut, vbi domus sunt de lignis, palea tectæ, ignis cautè seruator, ne domus succendantur: sic lingua cautè custodienda est in congregatione. Lingua enim ignis est, vniuersitas iniquitatis. Aliquando per eam flamma iræ in congregatione accenditur. In eodem. Ecce quantus ignis quàm magnam syluam incendit. Nisi lingua custodiatur, multæ turbationes in congregatione oriuntur. Sufurro & bilinguis maledictus erit. Multos enim turbauit pacem habètes. Lingua tertia multos commouit.

Hebr. 12.

Glossa ord. ibid.

Matth. 5.

Iacob. 3.

Eccl. 28.

Quod innocentia custodienda sit ab omnibus.

CAPVT VII.

SEquitur de innocentia. Circa quam primo ostenditur, quòd custodienda sit ab omnibus. Secundo quod maxime ab his, qui sunt in congregatione religiosa. Tertio tangetur de partibus innocentia. Quarto de nocumentis quæ in religione mali inferunt bonis. Ad primum monet Spiritus sanctus in psal. Custodi, inquit, innocentiam.

tiam.

tiam. Glossa. Ne extorqueatur à te. Seneca. Ricculum est odio nocentis innocentiam perdere. Isidorus. Duo sunt erga dilectionem proximi seruanda: vt beneficij impensione foueatur, & nulla malitia lædatur. Triplici ratione conari debemus ad custodiam innocentia. Primo quia facile amittitur. Secundo quia ea amissa omnia amittuntur. Tertio quia ea seruata omnia seruantur. Facile amittitur, quia facto, & verbo, & voluntate, & omisione. Facto dupliciter, & cum bona aliena auferuntur: & cum mala alij inferuntur. Augustinus. Omnis homo qui alium in corpore persequitur: prius ipse in corde persecutionem sustinere cognoscitur. Idem. Nemo habet iniustum lucrum, sine iusto damno. Vbi damnum, ibi lucrum. Lucrum in arca: damnum in conscientia. Tulit vestem, & perdidit fidem. Acquirit pecuniam, & perdit iustitiam, scilicet quantum ad illam partem iustitia que est innocentia. Item Augustinus. Malitia tua vt alteri non noceat, fieri potest: quod autem tibi non noceat, fieri non potest. Verbo amittitur innocentia: vt cum aliquis in malum proximi mentitur. Augustinus. Fraudator prius & peius læditur damno innocentia, quam proximus damno pecunia. In Psal. Lacum aperuit & effudit eum: & incidit in foueam quam fecit. Voluntate etiam innocentia amittitur: vt cum aliquis odit proximum suum. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. Qui verò homicida est: innocens non est. Omisione, innocentia amittitur: vt cum aliquis non subuenit fame periculi, secundum illud Ambrosij. Pasce famelicos.

1. Ioan. 3.

morientem: si non pauidisti, occidisti. Si innocentia amittitur: omnia bona amittuntur. Amittitur iustitia funditus cum innocentia amittitur: quæ est iustitiæ fundamentum. Tullius. Fundamentum iustitiæ est ne cui noceas: deinde ut communi vtilitati deseruias. Amittitur etiam ipse Deus iustitiæ dator. Iniquitates vestræ diuiserunt inter vos & Deum vestrum. Si innocentia seruetur, cuncta bona seruantur. Dum Adam innocentiam seruaret, nihil ei nocuit. Nihil etiam nocet hodie illis qui innocentiam seruant. Qui custodit præceptum, non experietur quicquam mali. Augustinus. Quid times hominem ô homo, in sinu Dei positus? Tu de sinu illius noli cadere: quicquid patieris, ad salutem valebit, non ad perniciem. Omnes capilli capitis vestri numerati sunt. Quæ videntur noxia, innocenti sunt vtilia. Scimus quoniam diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Innocentia armatura Dei est, quam si habueris, tu cum tuis in saluo eris. Saluabitur innocens. Eiusdem 4. Quis vnquam innocens periit? Item innocentia vestis est, sine qua nullus intrat in cælum. Psalm. Quis ascendet in montem Domini, aut quis stabit in loco sancto eius, Innocens manibus, &c. Hanc vestem necesse habemus ferre ante iudicem, ideo latro infernalis conatur nos ea spoliare. Hac veste spoliatus est descendens ab Hierusalem in Hierico, qui incidit in latrones.

Isa. 59.

Matth. 10.

Rom. 8.

Iob. 22.

Lucæ 10.

R

Quod

*Quòd maximè custodienda est innocentia ab
his qui sunt in religione.*

CAPVT VIII.

Multiplici ratione custodienda est innocentia à fratribus, qui sunt in religione, ut scilicet vnus alteri non noceat. Et possumus ad hoc decem rationes ponere. Primo requirit hoc Dei familiaritas. Eorum est enim Deo maximè adhærere pro quo omnia reliquerunt. Si enim Deum amittant: omnia amiserunt. Ad hoc verò vt perfectè Deo adhæreant, multum valet innocentia. Psalm. Innocentes & recti adhærerunt mihi. Vnitate voluntatis maximè adhæret quis Deo. Voluntatem verò vnam cum Deo habemus: si irascibilis sit sine peruersitate: & concupiscibilis sine curuitate. Primum facit innocentia: secundum facit rectitudo. Innocentia aduersatur malignitati: quæ est appetitus alieni mali. Rectitudo curuitati, quæ est inordinatus appetitus transitorij boni. Hæ duæ gratiæ reddunt hominem conformem Deo: & faciunt eum ipsi adhærere. Psalm. Rectus est Dominus Deus noster: & non est iniquitas in eo. Secundo requirit hoc loci immunitas. Homines etiam scelerati refugientes ad domum religiosam securi sunt ibi: vt eis non noceatur. Et si tyranni nolunt nocere, vel ibi habitantibus vel ad locum talem cõfugientibus: quantò magis ipsi habitatores loci sacri cauere debent, ne sibi inuicem noceant? Tertio requirit hoc societatis sanctitas. Multum cauendum est ne innocentia inter innocentes amittatur: quæ in-

ter nocentes à bonis in seculo seruatur. Si amissa erat in seculo: in claustro est restauranda, non amittenda. In Psalm. Lauabo inter innocentes manus meas. Quarto requirit hoc fraternitas. Triplex fraternitas est inter eos qui sunt in congregatione religiosa. Prima est naturalis: quæ communis est omnibus hominibus: secunda communis est omnibus fidelibus, tertia specialis est religiosorum.

De prima dicit Augustinus, in libro de disciplina Christiana. Si putamus non esse proximos, nisi qui de eisdem parentibus nascuntur: attendamus Adam & Euam, & omnes fratres sumus. Idem in libro de Ciuitate Dei. Nihil tam discordiosum vitio, tam sociabile natura, quàm genus humanum. Propterea Deus voluit creare parentem vnum, de quo multitudo propagaretur: vt hac admonitione etiam in multis cõcors vnitas seruetur. De secunda dicit idem de disciplina Christia. Omnes quidem fratres secundum quod homines sumus: quantum magis secundum quod Christiani sumus? Ad id quod homo es, vnus pater fuit Adam, vna mater fuit Eua. Ad id quod Christianus es, vnus pater est Deus, vna mater est Ecclesia. Tertia perfectissima est, quæ omnia bona facit communia, & temporalia & spiritualia. Quinto requirit hoc societas maxima, quæ est inter eos qui sunt vnus religionis, qui simul iacent, comedunt & bibunt: qui non solum accedunt ad eandem mensam corporis, sed etiã ad mensam doctrine cœlestis, & ad mensam sacri altaris. Vnde prodigiosè agit frater, si fratri eiusdem congregationis nocet. Qui in religione

*Paulò post
princip. lib.
Tom. 9.*

*Eod. loco
nunc antea
citato.*

à fratre suo persecutionem patitur, dicere potest: Manus proditoris mecum est in mensa. Sexto requirit hoc, quòd qui in religione sunt, mundo mortui sunt. Magna impietas est in mortuum desæuire, cum clavi, qui corpus dominicum læserunt, dulces dicantur: lancea, quæ corpus eius mortuum perforauit, dira dicitur. Septimo requirit hoc quod ipsi sunt de patria vna, in terra aliena, incolis illius terræ exosi, quæ multum solent facere ad amorem. Viri religiosi non sunt de mundo isto. Cælum eorum patria est: à mundo odiuntur & persecutionem patiuntur. Si de mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret, quia verò de mundo non estis propterea odit vos mundus. Si religiosi non amant se inuicem, quasi sine amicis erunt in mundo isto. Octauo requirit hoc quod ipsi patrem & matrem, & omnes alios sibi attinentes, pro societate religionis reliquerunt. Vnde magna peruersitas & iniquitas est, si societatem prauam faciunt sibi inuicem. Nono requirit hoc similitudo. Omne animal diligit simile sibi. Etiam animalia irrationalia illam ferocitatem non exercent in animalia suæ speciei, quam in alia animalia exercent, quod patet in lupo & leone. Lupus enim lupum non lædit, & leo leoni non nocet. Ipsa aqua quæ naturaliter habet pugnam cum igne, pacem habet cum alia aqua, quæ eiusdem speciei cum ea. Sic vnus religiosus alio religioso non debet nocere. Decimo requirit hoc abundantia bonorum spiritualium: quam habent viri religiosi. Quanto enim habent plura bona, tanto magis solliciti debent esse de eo

Ioan. 15.

Eccl. 13.

rum conseruatione, & ipforum amissionem timere. Augustinus ad religiosos. Quanto frequentiores orationes habetis, tanto sanctiores esse debetis. Idem intelligendum est de aliis operibus eorum, ad quæ multum valet innocentia, vt prius ostensum est. Innocentia multum grata est Deo: & multum utilis homini. Augustinus. Nihil Deo dignius vel charius esse potest, quàm vt innocentia tota obseruatione teneatur. Licet enim quis in aliis operibus deuotus appareat, si illam non habuerit, sibi frustra blanditur. Anselmus. Si hinc peccati pudorem, & illinc cernerem inferni horrorem, & necessariò vni eorum haberem immergi, prius me in infernum mergerem, quàm in peccatum. Mallem enim purus à peccato & innocens gehennam intrare, quàm sorde pollutus cœlorum regna tenere: cum constet solos malos in inferno torqueri, & solos bonos in cœli beatitudine foueri.

*In 3. regul.
cap. 38.*

De partibus innocentia.

CAPVT IX.

ET notandum est quatuor partes innocentia esse. Prima pertinet ad id quod est supra nos, scilicet Deum. Secunda ad nos. Tertia ad id quod est iuxta nos, scilicet proximum. Quarta ad id quod est infra nos, scilicet temporalia bona. Qui primam partem innocentia habet, cauet ne Deo noceat vel Dei gloriam sibi vsurpando, vel eam lædendo vel diminuendo. Qui secundam partem habet, seruat suam conscientiam mundam. Qui tertiam partem habet, ser-

R 3

uat

uat famam bonam: ne exemplo suo malo noceat proximo. Qui quartam partem habet, abusionem bonorum temporalium cauet. Hæ quatuor partes innocentia sunt quasi quatuor latera claustris spiritualis: intra quæ spiritus bene ordinatus deambulat: secundum illud Psal. Perambulabam in innocentia cordis mei. Pratum verò amænissimum est conscientia sacris meditationibus intentissima: cœlestibus desideriis fragantissima, vbi velut lilia candent affectiones castitatis: velut rosæ rubent affectiones patientia & pietatis: patientia rubore proprio: pietatis alieno: vbi velut violæ redolent affectiones humilitatis. In medio spes velut laurus, perpetuum virorum præstat & vmbraculum. Vbi non deest aqua cœlestis doctrina, vnde est viriditas, secundum illud Eccles. 40. Super omnem aquam viriditas ad oram fluminis.

De nocementis quæ mali inferunt bonis.

CAPVT X.

ID notandum quòd in religione mali multis modis nocent bonis. Quantum ad bona temporalia, nocent eis superfluè circa se ea exponendo: vel his quibus danda non erant, ea dando. Nocentes primo modo similes sunt usurariis: qui volunt esse socij in lucro, & non in damno. Minus enim cæteris volunt laborare: plus cæteris consolationis habere. Exemplum secundi nocementi habemus in Iuda proditore, qui fur erat, & loculos habens, quæ mittebantur, portabat. Quæ danda erant pauperibus: dabat vxori suæ & filiis. Satis deberet sufficere ad

Joan. 12.

com.

compescendum ab hoc peccato, pœna infelicis
 mortis: cuius hoc peccatum ei occasio fuit. Su-
 spensus enim crepuit medius. Nocent etiam
 mali bonis in religione, subtrahendo eis de-
 bitum beneficium, & præstando eis salutis
 impedimentum: fratrum aduersarium iuuan-
 do, & per verba detractionis vel conuitij fratri-
 bus iniuriando. Subtrahunt eis beneficium
 Consilij, exhortationis, consolationis, exempli
 boni, adiutorij & correctionis: vnde innocen-
 tes non sunt. Augustinus. Duobus modis nocet
 homo, scilicet si facit miserum, vel deserit mise-
 rum. Idem in regula sua. Innocentes non estis,
 si fratres vestros quos iudicando corrigere po-
 testis: tacendo perire permittis. Salutis præ-
 stant impedimentum, qui ministrant malum
 exemplum: quia volentibus ire in paradysum
 resistunt: dum in via cum eis incedunt, & quasi
 ad manum trahunt in infernum, quos trahere
 debuerunt in paradysum. Aduersarium iuuant
 dum peccant. Se enim ligant: & impotentes se
 reddunt ad aduersarij impugnationem. Ad-
 uersarium etiam iuuant, dum verbo vel facto
 ad malum fratres incitant: quod non est parua
 proditio. Manifestè proditor iudicaretur, qui
 in conflictu existens, cum deberet iuare

Astor. 1.

*Inertia
 reg. circa
 med. tom. 11*

suos, verteret se ad aduersarios,
 & impugnaret focios
 suos.



R +

De

De his quæ incitare debent, vel possunt virum religiosum, vt fratres suos amet.

CAPVT XI.

Sequitur de dilectione: & quot modis qui est in religione debeat operam dare, vt fratres amet, & ab eis ametur. Primo tangetur de his qui incitare possunt vt eos amet, secundo de modo amandi, tertio de his quæ valere possunt ad hoc vt frater ametur, quarto specialiter de amore inimicorum. Circa primum notandum quòd ad amandum proximum primo incitatur natura, secundo Scriptura, tertio gratia, quarto ad idem valere possunt exempla, quinto potest ad hoc valere, si ostendatur dilectionis utilitas magna, sexto si ostendantur odij damna. Natura ad hoc incitat, cum naturaliter præcepta iuris naturalis in corde hominis sint scripta. Quorum primum habetur: Quod ab alio oderis fieri tibi, vide ne tu aliquando alteri facias. Secundum habetur; Quæcunque vultis vt faciant vobis homines: & vos eadem facite illis. Dilectio est debitum naturale, quo vnus homo alligatus est alteri, à quo debito nullus absoluitur, quantumcunque ab eo soluatur. Vnde super illud Nemini quidquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis, dicit Augustinus; Charitas est quæ etiam reddita, semper detineat debitorem. Seneca Hæc societas diligenter & sanctè est obseruanda, quæ nos omnes omnibus necit, & indicat aliquod esse cõmune ius generis humani: quo plurimum ad interiorem societatem amicitiam colere

Tob. 4.

Matth. 7.

Rom. 13.

*Glossa ord.
ad habet
ibid.*

*Epist. 48.
circa me-
diũ illius.*

colendam proficit. Omnia enim cōmunia cum amico habebit: qui multa habet cum homine. Idē. Sapiens homo amicus pro homine est, stultitiæ amicus non est, p̄ homine. Scriptura ad idē incitat, quæ ad amandum proximum multum hortatur. Mandatum nouum do vobis: vt diligatis inuicem, &c. Charissimi diligamus nos inuicem. Ante omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes. In hoc multum incitat Scriptura ad dilectionem, quod ostendit eam esse legis plenitudinem, & speciale signum discipulorum Christi: & præceptum de dilectione speciale, esse præceptum ipsius. De primo habetur. Qui diligit proximum, legem impleuit. De secundo. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicem. De tertio. Hoc est præceptum meum: vt diligatis inuicem. Gratia ad hoc incitat, quæ ostendit hominem factum esse ad imaginem Dei. Licet aliquis omnes filios amici sui amet: tamen specialem amorem habet ad eum, qui amico suo est similior. Sic licet ad opera Dei communiter amorem habere debeamus: tamen specialiter ad hominem ad eius imaginem & similitudinē factum. Gratia ostendit proximum membrum esse corporis illius, cuius Christus est caput. Vos estis corpus Christi. Non amat caput, qui nō amat membra. Item gratia ostendit, proximum esse Dei Filium, Christi fratrem & cohæredem, & æternæ gloriæ secum participem futurum. Si amandi sunt fratres, qui diuidendo hæreditatem, portionem vniuscuiusque minorem faciunt: quan-

*Epist. 48.
circa finem
illius.*

1. Ioh. 4.

1. Petr. 4.

Rom. 13.

Ioan. 13.

Ioan. 15.

Gen. 1.

1. Cor. 12.



tum amandi sunt illi fratres, qui portionem vniuscuiusque augment? Quando enim plures erunt electi: tantò ampliùs gaudebunt. Plus gaudebit vnus electorum de gloria animæ alterius quàm de gloria proprij corporis. Ad amandum proximum etiam incitare possunt exempla; & primo exemplum Christi. Nò est despiciendus, quem Christus ita charũ habuit, quod pro eius amore mori voluit. Appendere debemus proximum hoc precio, ne nobis vilescat. Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris, in sanguine suo. Qui dedit semetipsum pro nobis. Secundo exemplum Angeli, qui aded amat hominem, vt custodiat eum in omnibus viis suis. Nò est despiciendus homo ab homine: qui aded charus est angelo. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis. Dico enim vobis quia angeli eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est. Matthæi 18. Tertio exemplum sanctorum. Legitur in vita sancti Ioannis Euangelistæ: quòd cum ipse deuenisset ad vltimam senectutem, & vix inter discipulorum manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset plura dicere verba: ad quamlibet pausam dicebat hoc; Filiioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, audientes quòd eadem verba semper diceret: dixerunt; Magister, quare hæc semper loqueris. Qui respondit: Quia præceptum Domini est, & si solum fiat, sufficit. Quarto exemplum creaturarum irrationalium, quæ amorem habent ad indiuidua suæ speciei. Ecclesiastici decimo tertio. Omne animal diligit simile sibi, & omnis caro ad similem sibi

Apoc. 1.

Tit. 2.

coniungetur. Incitare potest etiam ad idem magna dilectionis utilitas. Dilectio membra in illo nobilissimo corpore, cuius Christus est caput, vnit: & virtute membrorum vnita aduersario resistit: & ad perfectionem perducit. De primo habetur. Collossen. tertio. Super omnia charitatem habentes, quod est vinculum perfectionis. De alio dicit Tullius; amicitia virtutum adiutrix à natura data est, non vitiorum comes, ut quia solitaria non posset virtus ad ea quæ summa sunt peruenire, coniuncta & sociata cum altero perueniret. Damna etiam, quæ odium facit, ad idem incitare possunt. Hoc facit fraternum odium in corpore mystico, quod facit diuisio continuitatis in corpore humano: ex qua sequitur dolor magnus, & quandoque mors.

De modo amandi proximum.

CAPVT XII.

Circa modum amandi proximum, notandum quòd Scriptura triplex exemplar de hoc nobis ministrat. Primū est amor, quo Christus amauit nos. Ioā. 15. Hoc est præceptū meum, ut diligatis inuicem: sicut dilexi vos. Secundum est amor quo amamus nosmetipsos. Matthæi 22. & Lucæ 10. Diliges proximum tuum sicut te ipsum, tertium est amor quem habent membra eiusdem corporis ad inuicem. Romanorum 12. Sicut in vno corpore multa membra habemus: ita multi vnū corpus sumus in Christo. Circa primum notandum, quòd Christus amauit nos amore gratuito: gratis, scilicet, dato:

dato: non præcedentibus meritis reddito. *J. Ioan. 4.* In hoc est charitas, non quasi nos dilexerimus eum: sed quoniam ipse prior dilexit nos. Sic amandus est proximus. Amor eorum qui nolunt amare, nisi illos à quibus se primo agnoscunt amari: non habet gratiam apud Deum. Si diligitis eos qui vos diligunt: quam mercedem habebitis? Nonné publicani hoc faciunt? Item amavit nos amore recto: quia non propter utilitatem suam, sed nostram: non ut nobis reciperet, sed ut nobis daret. Sic amandus est proximus. Seneca. Ego amicum paro, ut habeam pro quo mori possim: ut habeam quem in exilium sequar: cuius morti me opponam & impendam. Ista quam tu describis, negotiatio est, non amicitia: quæ ad commodum attendit, quæ quid consecutura sit spectat. Idem: Sapiens habere amicum vult: sed ob nihil aliud, quam ut exerceat amicitiam, ne tam magna virtus iaceat. Augustinus. Vera amicitia non pensanda est temporalibus commodis: sed gratuito amore portanda. Ambrosius. Amicitia, virtus, non questus est. Tullius: Amicitiam, non spem mercedis (quia omnis fructus in ipso amore est) expectandam putamus. Si utilitas conglutinaret amicitiam: eadem continuata dissolueret. Boetius: Quem felicitas fecit amicum: infortunium faciet inimicum. Item: amavit nos Christus amore discreto. Amor discretus est, qui personam amat, & vitia persequitur: nec sic personis condescendit, quod vitiis implicetur. Bernardus. Christus in carnis assumptione condescendit mihi, in culpæ vitiatione consuluit sibi. Rom. 8. Dilectus

Matth. 5.

Epist. 9. circa mediū.

Ser. 20. super Cant. aliquantulum a prin.

Dilectio proximi, malum non operatur. Tullius: Nulla est excusatio, si amicitiae causa peccaveris. Nam cum conciliatrix amicitiae, virtutis opinio fuerit, difficile est amicitiam manere, si virtute defeceris. Charitas à parte anteriori homines ligat. Facit enim homines concordēs in bono. Amicitia verò mundi à parte posteriori homines colligat: sicut colligatae fuerunt vulpeculae Sampsonis: Ipsa enim facit concordēs in malo. Item Christus amavit nos amore magno: Maiorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis. Sic amandus est proximus. In hoc cognoscimus charitatem Dei: quoniam ille animam suam posuit pro nobis, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Amor magnus est amor magna operans: & ad inimicum se extendens. Gregorius. Probatio dilectionis est exhibitio operis. 1. Ioan. 3. Filioli non diligamus verbo neque lingua: sed opere & veritate. Item amavit nos Christus amore perseveranti. Cùm dilexisset suos, qui erant in mundo, in finem dilexit eos. Sic amandus est proximus. Sed sunt qui eum foelicem amant: cessante verò foelicitate, ab eo recedunt, qui secundum veritatem nunquam eum amauerunt. Gregorius: Cùm quis positus in prosperitate diligitur: incertum valde est, verum prosperitas, an persona diligitur. Amissio foelicitatis vim interrogat amoris. Qui ex adversitate Christum despicit, aperte conuincitur quod hunc in prosperis nō amavit. Senec. Multi illum comitantur: mel muscae sequuntur, cadavera lupi, frumenta formicae, praedam sequitur illa

Iud. 15.

Ioan. 15.

1. Ioan. 3.

In hō. festi pentecost.

Ioan. 13.

Lib. 7. mor. cap. 11. in med.

*Eccl. 6.**Ibid.**Ibid.*

*In lib. de
disc. Christ.
paulo à
pau. tom. 9.
Paulo ante
mediū lib.
tom. 9.*

illa turba, non hominem. Non agnoscat in bonis amicus. Est amicus secundum tempus suum: & non permanebit in tempore tribulationis. Item, Est amicus socius mensæ: & non permanebit tempore necessitatis. Est amicus, qui conuertitur ad inimicitiam. Circa secundum exemplar, notandum, quod hoc mandatum, Diliges proximum tuum sicut teipsum, dupliciter potest intelligi. Vno modo, sicut, id est, ad quod teipsum: scilicet ad gratiã in præsentem, & ad gloriam in futuro. Vel sic, vt sit sensus: hoc facias proximo, quod tibi vis fieri: quod autem nõ vis tibi fieri: ei non facias: vt duo præcepta iuris naturalis prius posita, huius mandati sint expostitiua. Et notandum, quod cùm præceptum sit, Diliges proximum sicut nos diligamus: qui se non diligit, proximum diligere nescit. Augustin. de verbis Domini: Vide si iam nosti diligere teipsum, & committo tibi proximum, quem diligas sicut teipsum. Si autem non nosti diligere te: timeo ne despicias proximum sicut te. Idem in libro de disciplina Christiana. Si te interrogem, vtrum diligas te: respondebis quia diligis. Quis enim se odit? Ergo non diligis iniquitatem. Nam si diligis iniquitatem, odis te. Non ego dico, Psalmistam audi: Qui diligit iniquitatem, odit animam suam. Idem in eodem. Qui diligis iniquitatem, quomodo volebas tibi committi proximum, vt diliges eum tanquam te, homo, qui perdis te? Si enim tu ipse sic te diligis, vt perdas te: sic profecto perditurus es eum quem diligis, sicut te. Nolo ergo quenquam diligas: tu solus peris: aut corrige dilectionem, aut respue societatem. Item

Item notandum, quod non dicitur, diliges proximum tuum, plus quàm teipsum. Videtur plus quàm seipsum proximum velle diligere, qui curationi propriæ non sufficiens, curam proximi sui cupit assumere. Bernardus super Cant. Tu frater, cui firma salus propria nondum est, cui charitas adhuc aut nulla est, aut ad eò tenera atque arundinea, quatenus omni flatui cedat, omnî credat spiritui, omni circumferatur vento doctrinæ, imò cui tanta est charitas, vt ultra mandatum quidem diligas proximum plus quam teipsum: & rursus tantilla, vt contra mandatum fauore lique scat, pauore deficiat, perturbetur tristitia, auaritia contrahatur, ambitione molestetur, suspitionibus inquietetur, conuitiis exagitetur, curis euisceretur, honoribus tumeat, liuore tabescat; tu inquam, ita in propriis te sentiens, qua nunc dementia quæso aliena curare, aut ambis, aut acquiescis? Audi quid consulat cauta vigilans charitas. Non aliis, inquit, sit remissio, vobis autem tribulatio: sed ex æqualitate. Noli nimium esse iustus; sufficit vt diligas proximum sicut teipsum. Item notandum, quod qui proximum debito modo diligit, Deum plus diligit: propter quem diligit proximum, vnde patet quomodo id sit verum; Qui diligit proximum, legem impleuit. Et illud: *O. Rom. 13. Gal. 5.* Omnis lex in vno sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum. Implēs enim mandatum de dilectione Dei, implet mandatum de dilectione proximi. Aug. Inter quos amicos non est diuinarū rerum cōsensio: nec humanarum plena esse potest. Necessarium est, vt aliter quàm

quàm oportet humana existimet, qui diuina contemnit: nec hominem rectè diligere nouit, quisquis eum non diligit, qui hominem fecit. Circa tertium exemplar: notandum quod scriptum sunt, in quibus amor, qui est respectu proximi, imitari debet amorem membrorum eiusdem corporis. Primū est, quòd vnum membrum non inuidet alij membro: licet non habeat officium, quod illud habet. Si omnia membra vnicum haberent officium, essent quasi vnum membrum. Si totum corpus oculus, vbi auditus, vbi odoratus, &c. Item: Si essent omnia membra vnum membrum: vbi corpus? Omnia autem membra non eundem actum habent. Sic non debet aliquis inuidere proximo suo habenti gratiam, quam ipse non habet. Multum timenda est inuidia: tanquam vitium diabolicum. Augustinus in libro de virginitate: Duobus malis, hoc est superbia & inuidia, diabolus est. Item in libro de disciplina Christiana. Auertat Deus pestem inuidiæ ab animis hominum omnium. Inuidia vitium diabolicum est, sed habet matrem suam, scilicet superbiam: suffocam matrem, & non erit filia. Secundum est, quòd vnum membrum officium suum sibi auarè non appropriat: imò gratis aliis communicat. Oculus, est oculus omnibus membris. Item intelligitur de cæteris membris. Sic debet esse inter fideles. Multi vnum corpus sumus in Christo: fingunt autem alterius membra. Necessitatibus sanctorum communicantes. Cibum quem vnum membrum recipit, cæteris membris communicat. verò aliquod membrum amplius debito

1. Cor. 12.

Rom. 12.

*Circamed.
lib. tom. 9.*

Rom. 12.

Ibid.

retinuerit de illo, ad malum suum illud retinet. Est enim materia apostematis, vel alterius infirmitatis. Sic etiam inter fideles: Est & alia infirmitas, quam vidi sub sole, diuitiæ conseruatae in malum Domini sui. Tertium est, quod vnum membrum de alio se non vindicat. Sic debet esse inter membra Ecclesiae. Nulli malum pro malo reddentes. Quartum est, quod vnum membrum compatitur alteri, & congaudet: Si patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Si gloriatur vnum membrum: congaudent caetera membra. Sic fideles debent gaudere cum gaudentibus, & flere cum flentibus. Quintum est, quod vnum membrum reputat sibi fieri quod fit alij, siue bonum siue malum. Si laedatur pes, os conqueritur: si lauentur pedes, os regratiatur. Intraui in domum tuam: aquam pedibus meis non dedisti. Hæc autem lachrymis rigauit pedes meos. Sic vnus fidelium reputare debet sibi fieri, quod fit alij. Vnde caput Ecclesiae dicit, Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Sextum est, quod vnum membrum pro alio lesioni se exponit: vt manus pro oculo. Sic debent facere fideles, exemplo Christi capitis, qui scapulis suis obumbravit nobis, in cruce ictum recipiens, quem genus humanum debebat recipere. Septimum est, quod vnum membrum multum timet separari ab aliis membris. Sic fideles timere debent separari à corpore Ecclesiae. Augustinus. Nihil sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi.

Ecc. 5.

Rom. 12.

1. Cor. 12.

Luc. 7.

Matth. 25.

De

De his quæ valere possunt ad hoc vt frater ametur.

CAPVT XIII.

Sequitur de his quæ valere possunt ad hoc, vt aliquis à proximo ametur. Quinq; verò sunt quæ ad hoc valent. Primum est discretio. Vnde sapientia dicitur esse mater pulchræ dilectionis. Fatuitas nescit acquirere vel conseruare amicitiam. Fatuo non erit amicus. Secundum est modestia in sermone. Sapiens in verbis amabilem se facit, gratiæ autē fatuorum effunderetur. Tertium, est similitudo. Volatilia ad sibi similia conueniunt. Ambrosius. Est insitum bonis, vt vnusquisque virtutes suas in aliis amet. E contrario, dissimilitudo facit ad odium. Oderunt enim hilarem tristes: tristemq; iocosi. Quartum est, virtus. Tullius. Nihil est virtute amabilius vel quod magis alliciat ad amandum: quippe cum propter virtutem & probitatem etiam eos quos nunquam vidimus, quodammodo diligimus. Idem: Tanta est virtus probitatis, vt etiam vel in eis quos nunquã vidimus, vel, quod maius est, in hoste diligamus. Specialiter valet ad hoc virtus mansuetudinis. Fili in mansuetudinis opera tua perface: & super gloriam hominum diligêris. Mansuetudo, ad modum adamantis vim habet attractiuam. Vt adamantem & filicem dedi faciem tuam. Item specialiter valet ad hoc virtus humilitatis. Sicut odibilis est Deo hominibus superbia: sic amabilis est Deo & hominibus humilitas. Superbia dum se exaltat alios deprimit: ideò non est mirum si ab aliis odiatur. Humilitas verò dum se demittit, alios exaltat.

Eccl. 24.

Ibid. 20.

Eccl. 20.

Eccl. 27.

Eccl. 3.

Ezech. 3.

exaltat & honorat : ideo meritò ab eis amatur. Maximè inter omnia valet ad hoc, quòd aliquis ametur , si ipse primo amauerit. Augustinus. Nulla est maior ad amorem inuitatio , quàm præuenire amando. Idem: Nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit & rependere. Seneca in epistolis: *Quæris Epist. 9.* quomodo amicum factururus es cito? Ego tibi monstrabo amatorium sine medicamento, sine herba, sine vllius veneficæ carmine; Si vis amari, ama. Quintum, est obsequium vel beneficium. Sapiens: Hoc tempore obsequium amicis: veritas odium parit. Ignis amoris, beneficiorum lignis nutriendus est: alioquin deficit. Beneficia etiam feras ad amorem incitant: & inimicos efficiunt amicos. Si esurierit inimicus *Rom. 12.* tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi. Hoc enim faciens carbones ignis congere s super caput eius, cor eius accendens ad te amandum. Et notandum, quòd beneficium non parit amicitiam, nisi discretè detur. Vnde dicitur de fatuo: *Eccl. 20:* quod non est, gratia bonis illius. Qui enim edunt panem illius falsæ linguæ sunt. Quoties & quanti irridebunt eum? Seneca. Nullum habet maius malum homo occupatus, & bonis *Epist. 19.* suis obsessus, quàm quod amicos sibi putat, *circa finem illius.* quibus ipse non est: quòd beneficia sua efficacia iudicat ad conciliandos amicos: cùm quidam quo plus debent, magis oderint. Quid ergo? Beneficia non parant amicitias? Parant, si accepturos licuit eligere: si collata, non sparsa sunt. Idem: Hoc consilio sapientum vtere, vt magis *Eadem ep. 19. in fine.* existimes pertinere ad rem, quis quam quid

acceperit. Tullius: Melius apud bonos, quam apud fortunatos beneficium collatum est. Et notandum, quod beneficia vel obsequia à fratribus sibi inuicem humiliter exhibita, ad dilectionem prouocandam & conseruandam multum sunt efficacia: ideo sancti multum voluerunt à se, & etiam ab aliis fidelibus obsequium cum diligentia exhiberi. De hac diligentia habemus exemplum in Abraham, qui tres viros in hospitio susceperat; de quo ait Hieronymus: Non seruis præcepit, vt hominibus ministrarent: nec bonum quod exercebat, per alium ministravit: sed quasi præda reperta, cum se humanitati solus incubuit. Ipse pedes lauit, ipse humeris suis vitulum de armento portabat, ipse vt seruus stetit, peregrinis prandentibus, & ministris propriis coctos cibos ieiunaturus apparauit. Aliud exemplum habemus in Paulo: Obsecro, inquit, vos fratres per Dominum nostrum Iesum Christum, & per charitatem Spiritus sancti, vt adiuuetis in orationibus vestris pro me Dominum, &c. vt obsequij mei oblatio accepta fiat in Hierosolyma. Sancti super omnia exempla, exemplum Christi, qui pedes discipulorum suorum lauare voluit, imitati sunt. Circa quod exemplum sex nobis attendenda sunt, ad edificationem nostram: scilicet status eius cui peccata lauit, tempus quo obsequium exhibuit, locus vnde ad illud exhibendum surrexit, ministerij sublimitas, ministrat humilitas, diligentiam quam circa illud ministerium exhibuit. De primo

Gen. 18.

Rom. 12.

Ioan. 13.

*Tract. 55. in
Ioã. in fine.*

mo dicit Augustinus. Hoc ad maximum modum humilitatis accessit: quod etiam illi peccata

non de dignatus est lauare, cuius manus præu-
 debat in scelere. Circa secundum notandum,
 quod Dominus distulit dare hoc documentum
 vsque in finem vitæ suæ: vt melius memoriæ in-
 figeretur. Chrysostronus quærit, propter quid
 antea non fecit? & respondet; Quæ maiora sunt,
 vltimo abiicit. Circa tertium notandum, quod
 Dominus surrexit à cœna iam inchoata, non-
 dum consummata. Augustinus. Non ita debe-
 mus intelligere cœnam factam, velut eam con-
 summata atque transactam. Adhuc enim cœ-
 nabatur, cum Dominus surrexit, & lauit pedes
 discipulis suis. Nam postea recubuit: & bucel-
 lam suo traditori postea dedit. Cœna ergo facta,
 hoc est, iam parata, & ad conuiuantium men-
 sam vsque perducta. Mira dignatio quod tan-
 tus à tali statu ad tale opus surrexit. Circa quar-
 tum notandum, quod Euangelista sublimita-
 tem ministrantis curauit nobis ostendere: vt e-
 ius humilitas nobis gratior esset. Vnde ait: Sci-
 ens quia pater omnia dedit ei manus. Augusti-
 nus. Ergo & ipsum traditorem. Idem: Iam tra-
 ditor traditus erat ei, quem tradere cupiebat.
 Sequitur: Et quia à Deo exiuit, generatione æ-
 terna; in quo filius Dei ostenditur. Augustinus.
 Tanta est humanæ humilitatis utilitas: vt eam
 suo commendaret exemplo, etiam diuina sub-
 limitas. Bernardus. Vis humilitatis, nescio quo
 pacto, maior in maioribus, & clarior in clario-
 ribus comprobatur. Circa quintum attende,
 quod membra infima in corpore humano sunt
 pedes: & viles sordes eis adhærent. In hoc ergo
 quod caput Ecclesię Christus pedes lauit, osten-
 sum

*Tract. 55. in
 Ioan. circa
 medium.*

*Tract. 55. in
 Ioan. post
 medium.
 Eodẽ tract.
 55. in fine.*

*Lib. 2. de
 cõsid. parũ
 à med.*

sum est, quod maximus in Ecclesia Dei, in necessitate debeat etiam obsequia humilia in minimis præstare. Circa sextum attende, quod ad ministerium peragendum diligenter se parauit: vestimenta, vt esset expeditior, deposuit, linteam accipit, & se præcinxit. Omnia facere voluit, aquam enim in peluim misit, pedes lauit & exersit. Chrysostronus. Ipse impleuit peluim & non alium implere iussit: sed omnia ipse operabatur: per hoc monstrans, quoniam cum omni humilitate oportet implere talia. Item Petro resistenti non cessit, imò communicationem eum ad consentiendum induxit, dicens: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Certamen habuerunt humilitas Christi, & humilitas Petri: sed humilitas Petri cessit tanquam minor. Et quia obedientia humilitatem Christi iuuat, ait Petrus: Domine tu mihi lauas pedes. Chrysostronus. Manibus, quibus oculos cæcos aperuisti, leprosos mundasti, mortuos suscitasti? Augustinus. Quis non expauescat sibi lauari pedes à filio Dei? quamuis magnæ audaciæ esset contradicere seruum Domino, hominem Deum tamen Petrus hoc facere maluit, quam patrem Christum eos lauaret. Item Augustinus loquitur de hoc exemplo: Didicimus fratres humilitatem ab excelsis: faciamus inuicem humiliter quod humiliter fecit excelsus. Faciunt hoc inuicem fratres, etiam hoc ipso opere visibiles cum se hospitio recipiunt: & apud sanctos, hæc consuetudo non est, hoc quod manus faciunt, corde faciunt. Multo autem est melius & sine controuersia verius, vt etiam manus

*Tract. 56.
in Ioan.
in prin.*

*Tract. 58. à
medio.*

fiat; nec dedignetur, quod fecit Christus, face-
re Christianus. Cùm enim ad pedes fratris in-
clinatur corpus, etiam in corde ipso vel excita-
tur, vel, si iam erat, confirmatur ipsius humili-
tatis affectus.

De amore inimicorum.

CAPVT XIII.

SEquitur de dilectione inimicorum. Et no-
standum, quod qui est in congregatione, spe-
cialiter debet conari vt inimicos amet, & ad a-
mandum se prouocet. Præceptum enim est Sal-
uatoris, vt inimici diligantur. Diligite inimicos *Matth. 5.*
vestros, benefacite his qui oderunt vos. Augu-
stinus. In mandatis Dei nihil est mirabilius:
quàm quòd præcipimur diligere inimicos. Et
quibusdam videtur impossibile, quòd eos dili-
gant; quod ex defectu sapientiæ accidit. Ad lu-
men enim sapientiæ satis apparere potest, ini-
micos esse diligendos, non odiendos. Octo ve-
rò sunt, quæ si diligenter attendantur, non tan-
ta difficultas in dilectione inimicorum esse cre-
detur. Primum, est status ipsius inimici, qui ti-
bi iniuriatus est, & non vult satisfacere. Est e-
nim spiritualiter mortuus. Ipse enim quasi insa-
nus manus in se iecit, quando tibi iniuriam in-
tulit. Homo per malitiam occidit animam su- *Sap. 16.*
am. Magna crudelitas est, insanire in fratrem
mortuum: cui compassio debetur. Crudeliores
fuerunt, qui Christo mortuo non pepercerunt:
quàm qui viuentem læserunt. Dedecus est velle
se vindicare de mortuo. Secundum est utilitas
iniuriæ illatæ. Persecutores nosti, iuxta verbum

*Eccl. 1.**In tract. de
rectitud.
Cathol. cō-
uers. paulò
ante medi-
um tom. 9.**Luc. 6.**In li. de re-
ctitud. Ca-
thol. conuer-
sat. ante
medium
tom. 9.**Eodē tract.
aliquantu-
lum à prin-
cipio tom. 9.*

Psalmistæ, circumdant nos sicut apes: quia ad modum apum molestant nos tribulationibus: sed in futuro fauum æternæ beatitudinis nobis præparant. Usque in tempus sustinebit patienter, & postea erit redditio iocunditatis. Tertium est, quod dilectio inimicorum nobis est utilior quam amicorum. Ipsa multum valet ad spiritualium vulnerum sanationem. Augustinus. Ego ad dilectionem inimicorum vos moneo, quia ad sanandâ peccatorum vulnera, nullum medicamentum utilius esse cognosco. Ipsa etiam facit multum ad perfectionem, & culmen bonitatis. Post illud: Diligite inimicos vestros; subditur: Estote perfecti, &c. Augustinus. Manifestissimum bonitatis est, ut tuum quoque inimicum diligas: & ei qui tibi malum vult, & si potest, facit, semper bonum velis, atque facias cum possis. Item magnam mercedem meretur. Si diligas eos, qui vos diligunt, quæ vobis gratia. Diligite inimicos vestros, &c. & erit merces vestra magna. Quartum est, quod Deo gravior est. Augustinus. Qui dilexerit inimicos, hic erit Dei amicus. Nec solum amicus: sed etiam filius. Vnde post illud Matth. 5. & Lucæ 6. Diligite inimicos vestros; subditur: Et eritis filij altissimi. Augustinus. Quanta gratia: per nos serui digni sumus, & inimicorum dilectione filij Dei efficiamur. Chrysostomus super Matth. Nihil est quod sic Deo similem efficiat, ut malignis atque indigentibus esse placabilem. Quintum est, quod hæc dilectio, diabolo est molestior. Magis enim elongat ab eius similitudine: qui odio obstinat hominem persequitur. Gregorius: Stultum

seruire diabolo offenso : qui nullo placatur obsequio. Sextum est, quòd dilectio id quod odendum est magis inimico destruit, quàm aliud. Ipsa est inimico ignis, inimicitias annihilans. Si esurierit inimicus, ciba illum, &c. Hoc enim faci- *Rom. 13.*
 ciens, carbones congeres super caput eius. Ipsa est gladius interficiens inimicum, in quantum inimicus est. Chrysostomus: Sustine ad tempus inimicum tuum, & benefac ei: postmodum autem victum benevolentia tua, amabis eum quasi amicum tuum. Idem: Omnis inimicitia beneficiorum assiduitate comepescitur. Gregorius. Miles Dei aduersitatis bello depressus, & pati- *Lib. 3 mor. cap. 16. circa princip.*
 entia scutum debet ante ferre, ne pereat: & ad præliandum promptus, amoris inferre iacula, vt vincat. Cuius armaturæ summam Paulus breuiter insinuat, dicens: Caritas patiens est, benigna est. Cum verò ex utroq; vnum defuerit: caritas non est. Si videlicet malos, absque benignitate tolerans, non amat. Et rursus si sine patientia exhibens, negligit tolerare quos amat. Septimum est, quod non potes nocere ex proposito proximo tuo: quin tibi noceas. Augustinus. Malitia procedit ex te: & quid vastat antè quam te? Ergo quo profundit ramum, lædit: vbi radicem habet, non lædit? Non est dedecus alicui, si non vult inquinare os suum conuitium pro conuitio reddendo: imò honor est & signum nobilitatis animi. *Pro. 20.*
Honor est homini qui se separat à contentionibus. Octauum est, quòd ille qui tibi iniuriatur, magis Deo iniuriatur quàm tibi: qui hoc ei prohibuit, qui maius ius habet in te, quàm tu ipse. Si ergo Deus differt

Ecccl. 23.

vindicare iniuriam suam, & non est ei dedecus: non erit tibi dedecus, imò honor, si exemplo Domini non vis vindicare teipsum. Gloria magna sequi Dominum.

Quarta pars. De honore, quem fratres sibi inuicem debent exhibere.

CAPVT XV.

Sequitur de honore quem debent sibi fratres exhibere. Et primò quis honor iste sit, ostendetur: secundò, exhibitio mutui honoris commendabitur: tertio ostendetur quod in exhibitione discretio sit habenda, quartò, quod fratris inhonoratio multum sit cauenda. Circa primum notandum quod nomen honoris quandoque sumitur pro dignitate, vt ad Heb. 5. Nec quisquam sumit honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron. Aliquando sumitur pro timore reuerentiæ quæ est affectio animæ quæ aliquis altitudinem alterius reueretur, & dicitur esse fuga vel resilitio ab altitudine alicuius rei in propriam paruitatem, & huic motui interiori respondet exterius elongatio vel fuga, qua humiles perfectè elongant se ab his qui sunt in dignitate positi, non audentes se appropinquare. Aliquãdo verò honor dicitur illud quod alicui personæ propter aliquam prælationem exterius exhibetur: quod aliquando fit gratia superioritatis ad ostensionem subiectionis, & ad ostendendum voluntatem paratam esse ad obediendum, vt cum aliquis assurgit venienti, vel assistit sedenti, vel inclinatur transeunti, vel cum

incedentem sequitur, vel coram eo genua flectit. Ad exhibendum hunc honorem monemur. Cui honorem, honorem. Et: Regem honorificate. Aliquando exhibetur honor alicui propter prioritatem temporis, vt senibus, secundum illud: Coram cano capite confurge & honora personam senis. Aliquando verò aliquis honorem exhibet alicui, quia ab eo sumpsit originem, secundum illud: Honora patrem tuum & matrem tuam. Aliquando verò propter excellentiam in aliqua gratia: & sic exhibendus est omnibus. Debemus enim credere, quod omnes nos excedunt in aliqua gratia. Omnes honorate. Et super illud ad Phil. 2. In humilitate superiores inuicem sibi arbitranes, dicit glossa. Augustinus. Non hoc ita debemus arbitrari vt nos existimare fingamus: sed verè existimemus posse esse aliquid occultum in alio; quo nobis superior sit: etiam si bonum nostrum quo illo videmur superiores esse, non sit occultum.

Rom. 13.

1. Pet. 2.

Leuit. 19.

Exod. 20.

1. Pet. 2.

Glossa ord.

ibi ex Aug.

Commendatio mutui honoris.

CAPVT XVI.

EXhibitionem honoris mutui inter fratres commendabilem reddit, Primò Scriptura sacra, quæ multum ad hoc hortatur. Honore inuicem præuenientes. *Glossa interlinearis* *ibid.* Aliter non est frater-nus amor, nisi mutuis se præueniat honoribus & obsequiis. Subiecti inuicem in timore Christi. Reddunt etiam commendabilem exempla inter quæ præcipuum est exemplum Dñi: qui hominē voluit honorare. Honorauit eum creando, quia ad imaginem & similitudinem suam eum fecit.

Hono-

Honorauit eum ei prouidendo: quia uisibilia mundi propter eum fecit. In Psal. Gloria & honore coronasti eum, & constituisti eum super opera manuum tuarum. Omnia subiecisti sub pedibus eius. Item honorauit eum in conseruatione, angelorum custodiam ei deputando: secundum illud Psal. Angelis suis mandauit de te, ut custodiant te in omnibus uis tuis. Honorauit etiam eum in incarnatione, naturam humanam cum diuina in persona una sociando. Honorauit etiam eum in passione, hominis gloriam crucis ignominia acquirendo. Vnde dicit Augustinus de Christo, quod redemit uenditus, uiuificauit occisus, honorauit iniuriatus. Honoraturus est etiam eum in retributione, quando regnum cœlorum est ei daturus, secundum illud: Venite benedicti patris mei, possidere paratum uobis regnum, &c. Non est despiciendus ab homine, qui tantum honoratur à creatore.

Quòd in exhibitione honoris discretio sit habenda.

CAPVT XVII.

Habenda est autem discretio in honoris exhibitione, ut non habeatur respectus ad bona contemptibilia, scilicet bona fortunæ: sed ad bona nobiliora, scilicet naturæ uel gratiæ. Honorare aliquem propter bona fortunæ; & bona honorabiliora, scilicet bona naturæ & gratiæ despiciere, magnæ stultitiæ est. Seneca. Quemadmodum stultus est, qui equum empturus non equum, sed stratum & frena conspicit: sic stultissimus est, qui ex veste aut ex conditione, quomodo uestis nobis circumdata est, hominem existimat.

*Epist. 47.
declinando
ad finem.
41.*

istimat. Secundum Gregorium in moralibus. 25. mor. in princip.

Personam hominis accipere, est hominem non quia homo, sed propter aliquid quod circa ipsum est honorare. Discretionem quæ in exhibitione honoris habenda est, in parte ostendit

Hugo de S. Victore his verbis: Discretio personarum quantum quidem pertinet ad dilectionem, secundum meritum: quantum verò ad venerationem, secundum ætatem vel officium habenda est. Meliores diligere, superiores honorare debemus: quia par contumacia est, siue in eo, qui propter inferiorem gradum in homine virtutem despicit: siue in eo, qui propter vitam inferiorem, gradum superiorem contemnit. Istis ergo honor: illis amor impendatur: sic tamen vt honor istorum sit voluntarius, & illorum amor venerandus. Reuerentia enim sine amore magis seruilis est: & amor sine reuerentia puerilis iudicari debet. Cum tanta igitur humilitate & reuerentia melioribus exhibendum est beneficium dilectionis: vt illis quasi ex necessitate videamur esse subiecti; & cum tanto affectu atque hilaritate superioribus solendum obsequium subiectionis, vt solo potius dilectionis debito illis credamur astricti. Istis sic reddamus sua, quasi nostrum impenderimus: illis sic exhibeamus nostra quasi suum reddemus. Licet omnes homines sint honorandi tanquam ad Dei imaginem facti: amplius tamen honorandi sunt boni tanquam Dei filij, & tanquam qui à Spiritu sancto inhabitantur. Augustinus: Honorate in vobis Deum inuicem: cuius templum facti estis. Honorandi etiam sunt præ cæteris

In tract. de institut. no. ust. ca. 5. in princip. tom. 2.

In 3. regula aliquantulum à prin.

cæteris

Eccl. 3.
Ibid.

cæteris prælati, qui loco Dei sunt: & patres sunt spirituales. Dedecus filij, pater sine honore. Qui timet Dominum, honorat parentes. Exhibitio huius honoris valet ad prolongationem vitæ, & corporalis & spiritualis. Corporalis, quâ tum ad

Exod. 20.
Eccl. 3.

parentes carnales: spiritualis quantum ad spirituales. Honora patrem tuum & matrem tuam: vt sis longæuus super terram. Qui honorat patrem suum vita viuet longiore. Pater cœlestis vitam eorum conseruat: qui patri à quo vitæ principium habuerunt non sunt ingrati. Valet etiam exhibitio huius honoris ad hoc, vt exhibentes hunc honorem, à suis filiis honorentur.

Eccl. 4.

Qui honorat patrem suum iocundabitur in filiis. Honorandi sunt præ cæteris sacerdotes: maxime pabulum cœlestis ministrantes. Honorifica sacerdotes. Qui bene præsumt presbyteri duplici honore digni habeantur: maxime qui laborant in scientia & doctrina.

Eccl. 7.
1. Tim. 5.

Quod fratris inhonoratio multum sit cauenda.

CAPVT XVIII.

Ioan. 8.

Multum cauenda est inhonoratio fratris. Primò, quia multum offenditur cum inhonoratur. Vnde Saluator, qui patientissimus erat, de hoc videtur conqueri, dicens: Et vos inhonorastis me. Secundò, quia in fratre inhonoratur Deus, ad cuius imaginem factus est: & cuius inhabitator est. Inhonoratur etiam angelus: qui ad eius custodiam deputatus est. *Matth. 18.* Videte ne cõtemnatis vnum ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem Patris mei qui in cœlis est.

SECVN-

SECUNDA PARS PRINCIPALIS.

OSTENSVM est generaliter quomodo fratres qui sunt in religione debeant se habere: nunc specialiter ostendendum est quomodo se debeat habere qui cæteris præest. Et tanguntur duodecim quæ ad eum pertinent. Primum est vt habeat discretionem in fratrum receptione. II. est, vt habeat diligentiam in nouitiorum instructione. III. vt ad professionem leuiter non recipiat. IIII. vt omnibus bonum exemplum præbeat. V. vt in malorum correctione negligens non existat. VI. vt præponendo vnum alij, bonitatem, non carnis nobilitatem attendat. VII. vt de conuentu magnam curam habeat. VIII. vt infirmis exhiberi necessaria faciat. IX. vt præponat spiritualia temporalibus. X. vt maiora bona minoribus præponat. XI. vt dispensationes leuiter non faciat. XII. vt temperet vniuersa.

Quodd prælatus debet habere discretionem in fratrum receptione.

CAPVT I.

CIRCA primum notandum, quodd qui vult vineam bonam habere: palmites ex quibus plantanda est, cum discretionem debet eligere. Sic cum discretionem fratres recipiendi sunt in religione, exemplo Domini: Ego plantavi te vineam electam, omne semen verum. Circa illum qui recipi vult, primo attendendum est, si magnam voluntatem ad religionem habeat. Illum enim qui magnum onus vult sibi assumere, portan-

Hier. 2.

*Cap. 58. in
prim.*

*Paulò ante
med. libri
Habetur
in Bernar.*

Matth. 8.

Eccl. 22.

portandum toto tempore vite suæ, oportet magnam voluntatem ad illud portandum habere, unde dicitur in regula beati Benedicti de nouiter veniente ad conuersionem, vt non facilis ei ingressus tribuatur: & vt dura & aspera ei pradicentur. Sic apparet, an vehemens desiderium ad id quod requirit, habeat: & dilatio desiderium eius augmentat, quia desideria dilatione crescunt: iuxta verbum beati Gregorij: Magnitudo bonæ voluntatis in eo qui vult recipi, firmum est Spiritus sancti inhabitantis & in eo operantis. In libro de vita solitaria: Non sine grandi scrupulo mentis à quacunq; professione arcendus est, cui testis inhabitantis & trahentis Spiritus sancti bona voluntas est. Secundò attendendum est circa illum qui vult recipi, quid ipse principaliter intendat, vtrum Christum, an aliud præter Christum. Si aliud præter ipsum timendum est de ipso, ait vnus scriba Christorum Magister, sequar te quocunq; ieris. Qui cognito quod propter lucrum sæculi eum sequi vellet, dixit ei: Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet. Non vult Christus vt propter bona temporalia eum homines sequantur, sed illi in futuro æternas diuitias dabit, qui in præsentia paupertatis eius socius fuerit: Fidem posside cum amico tuo in paupertate illius: vt in bonis illius læteris. Multum cauere debet qui tenet locum Dei: ne introducat in domum ipsius inimicum eius. Inimicus enim Dei est, qui est amicus mundi. Specialiter cauere debet, ne homines superbos recipiat, qui nesciunt illi quod

locum

locum Dei tenet subesse: nec fratrum volunt socij esse. Ex duobus generibus hominum domus religionis replenda est. Vel de simplicibus, qui sensu & voluntate ad assequendam religiosam prudentiam feruentes apparuerint & habiles, de prudentibus, quos religiosæ & sanctæ simplicitatis, constiterit esse æmulatores. In libro de vita solitaria. Stulta superbia, vel superba stultitia à tabernaculis iustorum semper procul sit. In eodem: Omnis superbia stulta, quamuis non omnis stultitia superba. Stultitia enim sine superbia nonnunquam simplicitas inuenitur, quæ si ignorat, forsitan est docibilis: si nequit doceri, forsitan est tractabilis: & propria est ciuitas refugij simplicitati cohabitatio religionis, nisi sit talis quæ nolit humiliari: vel tam bruta, vt non possit regi vel tractari. Bona tamen voluntas, etsi multum sit bruta non est deserenda: sed salubri consilio ad laboriosam & actuosam vitam transmittenda. Superbia autem quamuis prudens sibi videatur: dimittenda est & abigenda. Discretionem debet habere qui præest, non qua simplices decipiat, suauia religionis eis ostendendo, & aspera occultando: sed qua recipiendis & recipientibus caueat. Crudelitas magna esse videtur: cum paruuli innocentes, asperitatem religionis non intelligentes, cruci religionis affiguntur. Hi in ingressu nihil spirituale intendentes, nec intelligentes ea quæ in regula continentur, post ingressum inimici crucis Christi inueniuntur: ventri suo, non Domino Iesu Christo in monasterio seruietes. Et notandum, quod multis de causis accidit, quòd in religio-

*Paulò ante
med. libri
& habetur
in Bernar.
circa me-
dium libri.*

T ne

ne recipiuntur, qui ad religionem non sunt idonei. Aliquando accidit hoc ex cupiditate recipientium. Sicut enim nauæ aliquando ægrantes, non ex toto mortuos, in mari non timent proiicere, vt bona eorum possint habere sic aliqui non timent homines adhuc in mundo viuentes sudario inuoluere, & in sepulchro claustrum sepelire, vt aliquod temporale commodum possint acquirere. Sudarium est habitus religiosorum: cum in eo ipsi consueuerint sepeliri. Mortui debent esse mundo, qui in hoc sudario inuoluuntur. Non debent iam desiderio attrahere bona huius mundi: vt diuitias, delicias, & honores. Mortui etiam debent esse sibi ipsi. Nemo nostrum sibi uiuit. Hanc mortem sequitur beata vita: Si mortui sumus cum Christo, credimus quia simul etiam uiuemus cum illo. Aliquando accidit hoc ex carnalitate recipientium: qui cum Dei ordinatione filios non habeant, diaboli procuratione nepotulos suos aggregant: quos in religione recipi faciunt, non vt saluentur, sed vt ditentur, & per eos fortiores efficiantur: qui sicut carnaliter ingrediuntur, sic post ingressum carnaliter cōuersantur. Quod natum est ex carne, caro est, & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Aliquando hoc accidit ex parentum carnalium improbitate: qui filios suos in religione ponunt, vt ab eis se expediant: potius intendentes eorum corporalem prouisionem, quàm eorum salutem.

Rom. 14.

Rom. 6.

Ioan. 3.

De diligentia in nouitiorum instructione.

CAPVT II.

Circa nouitios debet qui congregationi præest diligentiam magnam habere. Matrem se debet eis exhibere, benignitatem ostendendo, vt cum non refugiant: sed ad eum tanquam ad finem matris recurrant. Si verò in negotiis occupatus non potest intendere eis, mitem debet eis assignare fratrem, scilicet aliquẽ discretum, maturum, benignum: qui eos custodiat, munditiæ eorum intendant, cibo spirituali eos frequẽter pascat, imbecillitatem eorum sustentet, necessaria eis ministrat. Habenda est diligentia circa nouitios: tanquam circa paruulos. Custodiendi sunt à periculis, igne, aqua, fouea. Monendi sunt ad patientiam contra mala peccatæ, ne igne iræ bona spiritualia amittat. Qui impatientis est sustinebit damnum. Monendi sunt ad temperantiam: ne in aquam voluptatis se immergant. Vult Pharao paruulos in flumine proiici. Item monendi sunt vt à fouea illa caueant: in quam toties lapsi sunt. Beatus vir qui non est lapsus verbo ex ore suo. Munditiæ eorum debet intendere. De modo confessionis diligenter sunt instruendi. Ante professionem confessiones eorum debent recipi. Ad frequenter confitendum sunt monendi: vt omni tempore sint candida eorum spiritualia vestimenta. Circa nouitios primo nitendum est peccatis amouendis: ne seratur super spinas. Nolite serere super spinas. Spinæ sunt peccata quæ pungendo mentem cruciant: crescendo cum segete

Pro. 19.

Exod. i.

Eccl. 14.

Hier. 4.

bonorum operum eam suffocant: & incendio infernali materiam ministrant. Primo facienda est amotio spinarum istarum: & si postea iterum crescant, non est negligenda illarum extirpatio. Vnica enim spina mortalis peccati, segetem bonorum operum & vineam viri stulti destruit. Per agrum hominis pigri transiui, & ecco totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ. Nouitiis spiritualis cibus frequenter est ministrandus, quo & nutriantur & augeantur. Quod insinuatur Ioan. vlt. Vbi Saluator bis dixit Petro: Pasce agnos meos. Trium genera hominum non possunt esse diu sine cibi sumptione, quin grauetur: scilicet paruuli pueri, conualescentes à graui infirmitate, & itinerrantes. Quasi paruuli pueri sunt nouitij, quoniam nondum per annum vitam religiosam duxerunt: quibus multum cauendum est, ne cibi spiritualis defectum patiantur. De quo defectu multum dolendum esset & plangendum, iuxta illud: Paruuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis. Ipsi laborauerunt non vna graui infirmitate solum, sed multis: Ideo necesse est frequenter refici: vt vires resumant. Cùm accipisset cibum, confortatus est. Ipsi longam viam & grauem, scilicet in cœlum, quæ valde ardua est, aggressi sunt: ideo reficiendi sunt frequenter ne in ea deficient. Si dimisero eos in nos in domum suam, deficient in via. Nouitiorum tanquam paruulorum imbecillitatem debet qui eos regit supportare, defectus eorum patienter sustinendo: in tentationibus eorum eos consolando: adiutorium diuinæ gratiæ

Pro. 24.

Tren. 3.

Act. 9.

Matth. 16.


rationibus suis eis impetrando. Debemus nos *Rom. 13.*
 firmiores imbecillitates infirmorum sustinere,
 & non nobis placere. Congregabit agnos: & in
 sinu suo leuabit. Status nouitiorum est tractabi- *Isai. 40.*
 lior, sicut virga trabe est flexibilior: ideo dire-
 ctioni eorum cura multa est adhibenda. Tem-
 pore nouitiatus in psalmodia & officio diuino
 diligenter debent studere: & in regula, & in sta-
 tutis ordinis, secundum quæ necesse habent vi-
 uere.

*Quòd nouitij non sunt leuiter ad profes-
 sionem recipiendi.*

CAPVT III.

Nouitij non sunt leuiter ad professionem
 recipiendi. Leuiter recipiuntur cum de
 moribus eorum ante professionem experientia
 non habetur: Vel cum ea ad quæ in professione
 se obligant, eis ante professionem non expo- *Cap. 58.*
 nuntur. B. Benedictus in regula sua dicit, vt no-
 uitio post duorum mensium circulum legatur
 regula per ordinem: & dicatur ei. Ecce lex sub
 qua militare vis: si potes seruare, ingredi. Et si
 adhuc steterit, post sex mensium circulum rele-
 genda est ei regula: vt sciat ad quod ingreditur.
 Et si adhuc stat, iterum post quatuor menses le-
 genda ei. Prohibuit Dominus, Ne animal cœ- *Leuit. 22.*
 cum offerretur ei. Cœcum animal Deo offer-
 tur, quando aliquid Deo promittitur: & quid il-
 lud sit, nescitur. Quòd aliquis leuiter ad profes-
 sionem recipitur, quandoque accidit ex super-
 bia recipientium, qui verecundantur quòd ali-
 quis qui ad eos ingreditur ad seculum reuerta-
 tur.

tur. Qui tali fatuitate laborare videntur, qua laboraret qui verecundaretur de hoc quod in messe sua palea inueniretur. In his qui in religione ad probationem recipiuntur, ventus tentationis indicat quis palea, quis granum existat. Ad impetum enim huius venti palea discedit: granum verò locum suum non dimittit. Superuacuum esset tempus probationis, si omnes qui probantur, necessariò approbarentur. Cum de multis à Deo vocatis, pauci sint electi non est mirum si non omnes qui probantur, ad professionem admittantur. Aliquando accidit quòd aliquis ad professionem leuiter recipitur, ex indiscreta pietate recipientium; qui carnalibus hominibus adeò compatiuntur, ut cum eis carnales efficiantur. Ipsi sunt infirmi adeò misericordes, quod sanis sunt crudeles & infideles: inter quos ponunt homines pestilentes qui eos corrumpant. Multi homines misericordes vocantur: vnum autem fidelem quis inueniet? Oportet vt religio despumetur, ad hoc vt in sua puritate seruetur. Vbi nulla est despumatio, est impuritas multa. Gloriantur aliqui de hoc quod de ordine eorum nullus apostatat: quibus dici potest, quòd non est mirum si nullus apostatando egreditur, in quo apostasia toleratur.



Pro. 20.

Quid

Quod praelatus omnibus exemplum bonum debet præbere.

CAPVT IIII.

Multum decet eum qui congregationi præest, vt exemplum bonum ei ministret: & congregationi hoc valde vtile est. Contrarium verò, ei qui præest multum est verecundum: & congregationi valde noxium. Dicit B. Benedictus in regula sua de abbate: Vt bona & sancta, factis amplius, quàm verbis ostendat. Gregorius: Sit rector actione præcipuus: vitæ viam subditis viuendo denunciet. Idem: Præpositorum bonitas subditorum salubris est regula. Ad Tit. 2. In omnibus exemplum teipsum præbe bonorum operum. Prælati est dicere subditis, quod dicit Gedeon, Iudicum 7. Quod me facere videritis, hoc facite. Matthæi 3. dicit caput Ecclesiæ præcursori: Sic decet nos implere omnem iustitiam. Superiores omnem iustitiam debent implere: quia necesse habent, omnem iustitiam docere. Quasi contra naturam est, quod lingua sit maior manu. Bernardus in libro de considerat. Monstruosa res est gratus summus, & animus infimus: sedes prima, & vita ima: lingua magniloqua, & manus otiosa: sermo multus, & fructus nullus. Qui alios superat sublimitate, excedere debet eos honestate. Gregorius. Non debet hominum ducatum suscipere, qui nescit homines bene viuendo præire. Bern. loquens de Salvatore instigante præcursorem, vt eum baptizaret; Sic plane, inquit, sic decet, vt vincat humilitate, qui sublimitate

Cap. 2. ante medium.

Li. 1. regist. cap. 24.

Li. 5. regist. cap. 165.

Li. 2. de cōsid. parum à med.

Li. 25. mor. ca. 30. ante medium.

limitate vincebat. Eccl. 3. Quanto maior es, humilia te in omnib⁹. Utile valde est cōgregationem vt prælatus potius: quæ agēda sunt, factis, quam verbis ostendat. Efficacior enim est vox operis quam vox sermonis. Et secundum verbum sapientis: Longum iter per præcepta: breue & efficacax per exempla. Opus doctrinam debet iuuare, non impedire. Gregorius. Loquendi auctoritas perditur, cum vox opere non iuuatur. Augustinus. Non obediēter auditur, qui seipsum non audit. Opus, verbum debet confirmare, non confundere. Eccl. 29. Confirma verbum. Hieronymus. Non confundant opera tua sermonem tuum. Multum confortat fratres bonum exemplum prælati. Augustinus. Magna consolatio membris ex capite. Si viderint fratres prælatum asperitatem ordinis cum ipsis viriliter sustinentem: multum ex hoc animantur. Si verò viderint eum quæ aspera sunt fugientem: multum exterrentur. Strenuitas ducum milites non modicum consolatur: ipso verò fugiente, ipsi in fugam vertuntur. Præterea cum prælatus ordinis asperitates cum aliis sustinet, ipse intelligit quæ sunt proximi ex seipso: & dum sentit miseriam, addiscit misericordiam & temperat quæ temperanda sunt. Vnde de capite Ecclesiæ dicitur, quod debuit assimilari per omnia fratribus, vt misericors fieret. Qui per experientiam non nouit, miseris compati nescit, secundum illud: Bibentes vinum in phialis & optimo vnguento delibuti, nihil compatiuntur super contritione Ioseph. Valde verum cundum est prælato bene docenti, si male agit.

* Seneca Ep.
6. à med.
Tale quid
habet lib 1.
reg. cap. 24.
Eg 21. mor.
cap. 8. in
prin.

Hebr. 2.

Amos 6.

Quasi enim ante se lucernam defert, qua im-
munditiam suam aliis ostendit. Mandatum lu-
cerna est: & lex lux. Item vulnus portans in fa-
ciem: aliis mederi præsumit. Gregorius. Qua
præsumptione aliis mederi properat, qui vul-
nus in facie portat? Ipse de bello fugiens, alios
ad strenuè pugnandum inuitat. Ipse literas pro-
priae damnationis publicat, secundum illud: In
quo alium iudicas, teipsum condemnas. Exem-
plum mali prælati multum nocet congregatio-
ni. Qui enim mali sunt, in ea per hoc in sua ma-
litia confirmantur, secundum illud: Conforta-
sti manus impij: vt non reuertatur à via sua ma-
la, vt viueret. Item: Errare facit simplices in re-
ligione. Vnde est maledictus; secundum illud:
Maledictus qui errare facit cœcum in itinere
suo. Ipse facit contra illud: Non pones coram
cœco offendiculum. Et poterit dicere Dominus
non solum illud: Aduersus filium matris tuæ
ponebas scandalum: sed etiam, quòd aduersus
proprium filium ponebas scandalum. Prælati
debet esse & lux, & sal monasterij. Si verò lux
ista obtenebretur, & sal infatuetur, tenebrę sunt
in monasterio: ita vt quæ agenda sunt non vi-
deantur: & deficit condimentum, vt ea non fa-
pian, quæ aguntur. Prælati est in monasterio
sicut sol in mundo; secundum illud: Inter quos
lucetis sicut luminaria in mundo. Si verò iste sol
conuertetur in sanguinem. Congregatio enim
peccati sanguine maculatur. Sol conuertetur in
tenebras, & luna in sanguinem: antequam ve-
niat dies Domini. Sol factus est niger sicut sac-
cus cilicinus: & luna tota facta est sicut sanguis:

Pro.6.

Rom.2.

Ezech.13.

Deut.27.

Leuit.19.

NB

Phil.2.

Ioel.2.

Apoc.6.



- Matth. 24.* & stellæ ceciderunt de cælo. Stellæ de cælo cadunt : quando fratres cœlestem conuersationem deserunt. Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum: & stellæ cadent de cælo. Prælatus est sicut lucerna super candelabrum. Si verò hæc lucerna fuerit extincta: fumum reddit pestiferum. Bernardus. Nunquid potest abscondi veritas supra montem posita: aut latere fumus lucernæ extinctæ super candelabrum? Prælatus tanquam pastor debet gregem suum præcedere & dirigere: sicut dicit Saluator de bono pastore: Cum emiserit oues suas, ante eas vadit & oues eum sequuntur. Cum verò per abrupta viciorum graditur: necesse est vt in præcipitium grex sequatur. Filij facile patrem imitantur. Quæcunque pater fecerit: hoc & filius similiter facit. Pereunte prælato, timendum est aliis, ne & ipsi similiter pereant. Factum est grande miraculum: vt Chore pereunte filij eius non perirent.

Quòd prælatus correctionem malorum non debet negligere.

CAPVT V.

Cap. 2. à med. illius. CAuendum est multum ei qui præest, ne malorum correctionem negligat. Vnde dicit beatus Benedictus in regula sua: Non dissimulet Abbas peccata delinquentium: sed modo vt cœperint oriri, radicitus ea vt præualet amputet. Et notandum quod variis de causis accidit quod ille qui præest, mala non corrigit. Quandoque hoc accidit ex ipsius pigritia. Aliqui cum vocati sunt à Domino, vt in ipsius vinea laborarent.

rent, sic se habent ac si dixisset eis spiritus, vt
 quiescerent à laboribus suis. Per agrum homi- *Pro. 24.*
 nis pigri transiui, & per vineam viri stulti, & ec-
 ce totum repleuerant vrticæ: & operuerant su-
 perficiem eius spinæ, & maceria lapidum de-
 structa erat. Hic est ordo deficienti in mona-
 steriis. Primò, est quasi murus cum cemento
 valde tenaci, cum scilicet, superiores ex chari-
 tate vtiliter præcipiunt: & inferiores ex amore
 humiliter obediunt. Huic muro aliquando suc-
 cedit maceria, quæ est murus macilentus, scili-
 cet, sine cemento, quando superiores cum au-
 steritate & potentia præcipiunt: & inferiores ex
 timore obediunt. Tandem maceria destruitur,
 cum ab eo qui præest correctio delinquentium
 negligitur, sicut legitur: In pigritiis humiliabi- *Eccl. 20.*
 tur contignatio, id est, lignorum iunctura. Pro-
 prium est enim pigritiæ, non statim subuenire
 periculo, sed expectat donec totum ædificium
 corruat. Somnus pigritiæ valde reprehensibilis
 est in eo qui præest. Ad quod ostendendum
 specialiter Saluator reprehendit Petrum de
 dormitione: Simon dormis? Dormitio ista sibi *Matth. 14.*
 & aliis est periculosa. Est enim prælatus sicut
 vigil in vrbe obsessa. Inuenerunt me vigiles, *Can. 13.*
 qui custodiunt ciuitatem. Cum dormienti-
 bus his qui habent vigilare, intrant hostes: pri-
 mò defæuiunt in eos, deinde in alios. Ideo bene
 dicitur Timotheo, qui prælatus erat: Tu verò
 vigila. In Psalm. Non dormitabit neque dor- *1. Tim. 4.*
 miet qui custodit Israël. Pigritia prælatorum
 multum nocuit monasteriis. Matthæi 13. Cum
 dormirent homines, inimicus superfeminauit
 zizania

zizania

zizania in medio tritici. Aliquando qui prælati non corrigunt, quia ipse reprehensibiliter vivit.

*In Apolog.
ad Gualtel-
mum abba-
tem, ca. pe-
nultimo à
medio.*

Bernardus: Nemo fideliter reprehendit, in quo se esse irreprehensibilem non confidit. Si quidem humanitatis est omnium, in quo sibi quique indulget, aliis non vehementer irasci. Aliquando verò non corrigunt, quia per indiscretam humilitatem, corrigendi auctoritatem amittunt.

*In 3. regu-
la, non re-
motè à fine
illius.*

Contra quod dicit Augustinus in regula sua, loquens de prælati: Quando necessitas disciplinae, in moribus coercendis, dicere vos dura verba compellit; si etiam ipsi vos modum excessisse sentitis, non à vobis exigitur, ut à vobis subditis veniam postuletis; ne apud eos, quos oportet esse subiectos, dum nimium servatur humilitas, regendi frangatur auctoritas. Argue cum

Tit. 2.

omni imperio. Aliquando etiam non corrigunt, quia in rebus temporalibus sollicitudinem suam & amorem posuit: & de spiritualibus non curans, fratrum culpas nec agnoscit nec puniunt.

*Li. 3. de cō-
sider. circa
finem.*

Et quia mala non puniuntur, sine timore perpetrantur. **Bernardus:** Impunitas est incuriæ soboles, insolentiæ mater, radix imprudentiæ, transgressionum nutritrix. Item aliquando non corrigunt timore scandali, vel alicuius temporalis incommodi: non attendens quod veritas non sit dimittenda propter scandalum: & quod plus debeat timere Deum quam proximum. Cum

Matth. 15.

dicerent Christo discipuli eius: Scis quia Pharisæi audito hoc verbo, scandalizati sunt, ait: Omnis plantatio, quam non plantavit pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite eos: cœci sunt duces cœcorum, Et de Helia dicitur: quod non

Eccl. 48.

pertimuit principem, nec superavit eum ver-
 bum aliquod. Item aliquando non corrigit,
 quia remissio, quæ falso benignitas creditur,
 hoc impedit quæ videtur fuisse in Hely, qui re-
 misse arguebat filios suos, dicens: Quare facitis
 res huiuscemodi, quas ego audio? Qui de cella
 cecidit retrorsum & fractis certicibus mortuus
 est. Item aliquando non corrigit, quia malitiam
 tantum crescere permisit, quod iam ei non suf-
 ficit prævalere. Ideo bene dicitur in regula bea-
 ti Benedicti; vt peccata mox vt oriri cœperint,
 radicitus amputentur. Versus: Principis obsta,
 sero medicina paratur, Cum mala per longas
 conualuere moras. Eccl. 11. A scintilla vna auge-
 tur ignis. Paruuli infernales suffocandi sunt an-
 tequam creuerint. In Psalm. Beatus qui tenebit
 & allidet paruulos suos ad petram. Pharao præ-
 cepit paruulos Iudæorū submergi. Edocti ergo
 ab ipso, & nos paruulos Pharaonis infernalis
 occidamus: quia fas est & ab hoste doceri. Ca-
 put serpentis infernalis conterendum est, iuxta
 illud: Ipsa conteret caput tuum. Hieronymus.
 Lubricus est antiquus serpens: & nisi capite te-
 neatur, torus statim illabitur. In morte primo-
 genitorum filij Israël de potestate Pharaonis li-
 berati sunt. Si igitur vis esse immunis à serui-
 tute Pharaonis infernalis, primos
 conatus eius destrue.

1. Reg. 2.

1. Reg. 4.

Cap. 2. à
med. illius.

Ouid. lib. 1.


de remed.

amoris.

Exod. 3.

Gen. 3.

Exod. 11.



Qudd

*Quòd prælatus præponendo vnum alteri, non
carnis nobilitatem debet attendere,
sed bonitatem.*

CAPVT VI.

*Cap. 2. pa-
rùm ante
med.*

Qui congregationi præest nobilitatem ani-
mi nobilitati carnis præponere debet. Vi-
de B. Benedictus in regula sua: Non præpona-
tur ingenuus ei qui conuertitur ex seruitio: nisi
alia rationabilis causa existat. Cuius contrari-
um multum nocuit aliquibus monasteriis. Præ-
lati enim qui fratres illos præponere debebant,
qui sapientia & vitæ merito præcallebant, illos
præposuerunt, qui generis nobilitatem habue-
runt, corpore quidē nobiles, meliori verò parte
sui ignobiles: illos verò contempserunt, qui ex
humili ad nobilitatem surrexerunt. Illis hono-
rem dederunt, qui de nobilitate in ignobilitate
cecidierunt. Ipsi propter genus honorauerunt
degenerantes: & despexerunt, genus proprium
nobilitantes. Ipsi prætulerunt ignauiam defici-
entium, probitati proficiētium. Ipsi propter no-
bilitatem illos extulerunt, qui ipsi nobilitati de-
decus fecerunt: illos verò depresserunt, qui ge-
neris sui gloria fuerunt. Ipsi nobilitatem illam
contempserunt, quæ filios Dei & Christi cohe-
redes facit: illi verò nobilitati detulerunt, quæ
est etiam in his qui turpitudini vitiorum serui-
unt. Malus enim tot dominorū seruus est, quot
vitiorum: vt dicit Aug. Sapiens: Is liber existi-
mandus est, qui nulli turpitudini seruit. Prælati
illos honorauerunt, qui de aliena probitate tu-
mebant: illos verò despexerunt, qui propria
virtute

*Li. 4. de ci-
uit. Dei, ca.
3. circa fi-
nem.*

*Epist. 93. pa-
rùm à fine
ad inuit.*

virtute pollebant. Sapiēs: Nemo in gloriam nostram vixit: nec quod ante nos fuit, nostrum est. *Seneca ep. 44. post medium.*
 Animus nobilem facit. Ipsi seruos diaboli repuerunt nobiles: filios verò Dei, ignobiles; cùm contrarium iudicet Deus: Quicumque honorificauerit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, erunt ignobiles. De seruis diaboli dicitur: Vidi seruos in equis, & principes ambulantes quasi seruos super terram. Bernardus. An non seruus, cui dominatur iniquitas? nisi tu fortè indignius iudices, hominem tibi, quàm vitium dominari. Ipsi illud, quod Deus abominatur, id est, altitudinem terrenam dilexerunt: & eam sanctitati prætulerunt. Quod altū est apud homines, abominatio est apud Deum. Cum terrena altitudo Deo sit abominabilis, qui monasteria per terrenam altitudinem Deo credunt placere, abominaciones Ægyptiorum Deo suo volunt immolare. Ruinam etiam monasteriorum suorum videntur quærere, cùm scriptum sit: Qui altam facit domum suam, quærit ruinam. Cùm minister Dei Deum debeat imitari, secundum illud: Qui mihi ministrat, me sequatur: Deus verò ignobilia & cōtemptibilia mundi elegit, vt non gloriatur omnis caro: non debet prælatus nobiles cæteris præferre, si sint sine sapientia & sanctitate. Si enim qui dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare: quanto magis necesse est, vt prælatus sicut Christus ambulet, qui in monasterio locum Christi tenet? Nobilitas generis & potentia secularis, instrumenta possunt esse boni & mali. Si autem sapientia & bonitas adsint, vten-

Seneca ep.

44. post

medium.

1. Reg. 2.

Eccl. 10.

Luc. 16.

Pro. 17.

Ioan. 12.

2. Cor. 1.

1. Ioan. 2.

Iob. 4.

utentur illis in bonum : si verò stultitia adfit & malitia, utentur illis in malum. Non sunt ergo nobilitas generis, & potentia secularis, sufficiens ratio, quare vnus alteri præponatur in monasterio. Diabolus est magnæ potestatis, secundum illud: Non est potestas super terram, quæ comparetur ei. Creatione etiam est valde nobilis, & etiam valde magnæ scientiæ: tamen hæc noxia sunt, cum deficiat bonitas, qua eis bene utatur. Et notandum, quod bonorum temporalium defensio, videtur fuisse occasio, quod in monasterio nobiles aliis præferuntur. Decepti tamen in hoc fuerunt prælati. Plus enim nocent nobiles mali & fatui, monasteriorum bonis fatuè expendendo: quàm profint ea defendendo. Plus etiam grauant monasteria carnales eorum amici, quàm facerent inimici. Amici eorum sunt vt murilegi, qui caseos à muribus defendunt: tamen si facultatem habeant, eos plus quàm mures consumunt. Nobilitas generis & possessio parui valoris, onerata magnis expensis: ita vt ad eius expensas non sufficiant magni comitatus vel Episcopatus: imò magnis debitis comites & Episcopi obligantur, vt quod nobilitas requirit impleatur. Dominus ex humili statu assumere voluit primos reges populi sui, vt ipsi humiles essent. Saulem assumpsit post abinas, David post oues. Non sunt nobiles, propter suam nobilitatem, in monasteriis cæteris præferendi & præponendi. Nobilitas generis si honorata fuerit, & discretio & bonitas defuerint, humilitatem & obedientiam monasterio expellit, & correctioni malorum se opponit: sic

hodie multos prælatos facere experientia docuit. Vnde & si nobiles aliquando sint vtilis, bona temporalia defendendo; tamen si fatui sunt & mali, magis sunt noxij, bona spiritualia dissipando.

Quòd prælatus magnam curam debet habere de conuentu.

CAPVT VII.

Qui congregationi præest, multam curam de conuentu debet habere. Valde reprehensibilis est, si cōuentui, iuxta facultatem monasterij, necessaria non ministrentur; cū conuentus pondus diei & æstus sustineat: Qui auferit in sudore panem, quasi qui occidit proximum suum. Conuentus est vt iumentum, cui dominus infidet. Saluator enim manet in communitate. Bernardus. Amator communitatis & commendator, quomodo communitatem defereret? Idem. Non amat veritas angulos: nec ei diuersoria placent: in medio stat. Communi vita, communibus studiis delectatur. Inhumanum est, vt iumento necessarium pabulum subtrahatur, cui onus imponitur, & flagellum virgæ adhibetur. Valde reprehensibile est, quòd filiis Belial, qui iugum fregerunt, vincula rupe- runt, & dominum proiecerunt, superflua ministrentur: sustinentibus verò dominum, & ei obsequentibus necessaria subtrahantur. Non decet hoc regem gloriæ: nec fidelem seruum reputat, qui familiæ eius cibum, & alia necessaria non ministrat in tempore. Non est secundum legem Dei, quòd os boui trituranti infrenetur:

Eccl. 34.

Serm. 4. in Epiphan. Domini, parum ante mediū. Serm. 6. ascens. Domini à meo.

V quod

*Act. 4.**Num. 22.*

quod præcipuè cauendum est, vbi vituli lasciuientes delicatè nutriuntur. Non est æqua partitio inter eos qui in vnum monasterium conueniunt: quando vnus esurit, & alter ebrius est. De communitate illa, cuius rectores fuerunt Apost. legitur: Quòd nullus egens erat inter illos, diuidebantq; singulis prout cuiq; opus erat. Per hoc quod necessaria conuentui non prouidentur, multa mala proueniunt. Prouenit inde murmur; nec mirum, cum asina Balaam, Propheta eam iniustè cedente, conquesta sit. Sequitur etiam euagatio conuentus. Aliquando enim pro defectu, qui modico posset suppleri, refectorium euacuatur; & cum magnis expensis, & cum magno detrimento religionis, fratres per cameras disperguntur: & etiam datur eis occasio vt proprietarij esse velint.

Quòd praelatus debet infirmis necessaria prouideri.

CAPVT VIII.

Cap. 36. in prim.

Circa infirmos maximam curam debet habere qui præest. Vnde B. Benedictus in regula sua: Infirmorum cura ante omnia & super omnia adhibenda est. Cùm inter miseras presentis exilij, quæ sunt fames, sitis, frigus, labor, infirmitas excedat; magnitudo verò miserie debeat ad misericordiam prouocare; misericordia circa infirmos debet esse. Item cum religio munda & immaculata apud Deum & Patrem sit, visitare pupillos, & viduas in tribulationibus eorum, & immaculatum se custodire ab hoc seculo: & plus quàm pupillus sit, qui non solum patrem & matrem, sed etiam omnes amicos deseruit.

seruit: primò ad religionem pertinet, vt de infirmis cura magna habeatur. Item cùm frater omnem mundi societatem propter monasterij fraternitatem reliquerit: magna inhumanitas est, si monasterium in tanta necessitate ei desit. Frater enim in angustijs comprobatur. *Prouerb. 12*
 Item cùm Christus derelictus sit pauper, quomodo ille qui in monasterio vices Christi gerit, illi qui pro Christo se depauperavit, in tanta necessitate viscera sua claudere poterit? Item, cùm homines seculares, qui sunt extra patriam, in hoc fidem sibi custodiant, vt infirmitate sibi subueniant: quomodo qui de hoc mundo exierunt, in hoc sibi fidem non seruabunt? Item quomodo se esse Christi discipulum confidit, qui mandatum de fraterna dilectione, auribus discipulorum à Christo maximè inculcatum, non custodit: cum non diligat fratrem in necessitate, opere & veritate? Prælatus patrè fratribus se debet exhibere, compatiendo infirmis. *2. Cor. 12.*
 Quis infirmatur, & ego non infirmor? De bono patre legitur: Pro animabus filiorum suorum colligabit vulnera sua. *Eccles. 30.* Vulnera enim pro ipsis excipiet: & super omnem vocem turbabitur viscera eius. Prælatus non solum patrem, sed etiam matrem se debet exhibere fratribus, qui patrem & matrem reliquerunt, & ei adhæserunt. E conuerso verò, multi prælati se habent ad fratres suos, sicut struthio ad filios suos. Durabitur ad filios quasi non sint sui. Hoc dicitur de struthione. Ad habendum curam de infirmis inuitamur exemplo filij Dei, qui humanum genus in infirmitate positum

positum personaliter visitare voluit & curare, & hoc cum magnis expensis. Infirmis etiam corporaliter, magnam humanitatem exhibuit. Eos enim virtute sua curauit. Leprosus etiam, cuius infirmitas contagiosa est, non aborruit: imò

Matth. 8.

In secunda parte in li. de charit. circa medium.

voluit eum tangere & curare. Inter opera misericordiae videtur excellere illud quod circa infirmos exercetur. In vitis patrum legitur, quod quidam frater interrogauit quendam senem dicens: Duo fratres sunt, quorum vnus ieiunat sex diebus, multum laborans: alius verò seruit egrotantibus: cuius opus magis est gratum Deo? Respondit senex: Si frater qui sex diebus ieiunat laborans, appendat se per nares, non potest esse æqualis illi, qui infirmantibus seruit. Negligentia circa infirmos in multis monasteriis

Cap. 33 in prin.

vitium proprietatis introducit, vitium nequissimum, secundum iudicium B. Benedicti, & precipuè à monasterio radicitus amputandum. Multi enim videntes quòd fratribus in suis infirmitatibus de communi non prouidetur, non intelligentes quòd maius esset periculum melius viuendi, quàm cito moriendi, proprium volunt habere: vt de proprio possent sibi in suis infirmitatibus prouidere. Multis verò in infirmitate proprium non fuit: imò è contrario infirmitati occasionem dedit, vt cito incurreretur, vel difficile sanaretur: sicut accidit cuidam

In 2. parte in lib. quod monachus nihil debet possidere, paulo à fin.

hortulano, de quo habetur in vitis patrum: quia omnia dabat in elemosynas, quæ de labore suo acquirebat, præter tenuem victum. Tandem suggestum est ei suggestionem maligni spiritus, vt colligeret aliquam pecuniam, quam, cum senesceret

sceret, vel ægrotaret, posset expendere. Et fecit sic. Contigit autem eum infirmari in pede: & expendit quidquid habebat in medicos, & curari non potuit. Et tandem vnus expertus medicus dixit, eum non posse sanari & curari, nisi per pedis abscissionem. Et cùm quadam die medicus esset allaturus instrumenta sua ad pedem abscindendum, nocte præcedenti hortulanus ille pœnituit de nummis collectis: & quod non dederat eos pauperibus. Et statim angelus Domini astitit ei dicens: Vbi sunt nummi quos collegisti: & vbi est pes quem tractasti? Qui cùm pœniteret, & misericordiam peteret, angelus Domini tetigit pedem eius, & sanatus est. Mane verò medicus veniens inuenit hortulanum in agro sanatum atque operantem: & laudauit Deum.

Quòd prælatus debet spiritualia temporalibus præponere.

CAPVT IX.

QVi præest in congregatione, spiritualia temporalibus debet præponere. Beatus Benedictus in regula sua: Non plus gerat abbas sollicitudinem de rebus transitoriis & terrenis, quàm de salute animarum. Valde reprehensibile est, quod prælatus animas vilipendat: qui eius vicēs gerit, qui animas specialiter amat. Parcis omnibus, quia tua sunt Domine, qui amas animas. Frequenter essent ei appendendæ animæ, ex pretio quod Saluator pro eis dedit, ne sibi vilescerent. Frequenter cogitandum esset ei quòd

*Cap. 2. de-
clinando
ad finem.*

Sap. 11.

Saluator animam suam posuit pro eis : & sanguine suo eas acquisiuit. Negligentia prælati circa spiritualia, cum diligentia circa temporalia, in aliquibus monasterijs, in quibus omnia honestè secundum ordinem fieri deberent, tantam inordinationem induxit, vt in eis terra sit sursum, & cælum deorsum. Terrena ibi cælestibus præponuntur. Pedes sunt ibi supra caput. Viri enim spirituales ibi despiciuntur, homines verò terrena sapientes, ad regimen temporale vtilis, in honore habentur. Pes est ille qui sollicitudine, & amore, & ministerio terram tangit: qui frequenter læditur & maculatur. Et licet videatur esse necessarius, qui sustinet & portat corpus: tamen si scandalizat, est amputandus, secundum illud: Si pes tuus scandalizat te, amputa illum. Facies est retro: quia in operibus quæ videntur bona, potius intenditur vtilitas terrena, quàm merces æterna. Interiora effusa sunt extra: cum bona æterna negligantur, & exteriora diligentur. Dicitur de auaro, quòd in vita sua proiecit intima sua. Deus ibi conculcatur: & terra deificatur. Deficit enim ibi charitas, & regnat auaritia vel cupiditas: quæ est idolorum seruitus. diabolus ibi honorificè recipitur: & Deus contumeliosè repellitur, vel ignominiosè suscipitur. Raptores enim vel vsurarij, qui sunt membra diaboli, libenter & cum magno honore ibi recipiuntur, & cum expensis ibi procurantur: boni verò pauperes, vel repulsam patiuntur, vel malè procurantur; in quibus Deus vel recipitur vel repellitur. Quamdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis

Matth. 10.

Eccles. 10.

Ephes. 5.

Matth. 25.

fecistis. Signa quibus perpendi potest, quòd prælatus salutem animarum parvipendat, & plus de rebus transitorijs, quàm de animabus curam gerat, hæc sunt. Si in propria persona terrenis negotijs intendit: & in spiritualibus vicarium ponit. Si non timet fratres suos periculo exponere, vt temporalia bona seruare valeat & augere: vt cum fratres iuuenes & leues ponit in officijs exterioribus: vel paucos fratres in paruis prioratibus. Item qui cum magnis expensis muros erigit, & mores negligit. Si quotidianas expensas frequenter computat: animarum verò detriméta vel profectus ignorat. Si quando fratres veniunt ad capitula, de rerum temporalium conseruatione vel multiplicatione est tractatus primus: de ordinis verò reformatione vltimus vel nullus. Item si sollicitè prouidentur quæ necessaria sunt corporibus: de his verò non curat quæ sunt necessaria animabus. Primum, scilicet quòd prælatus, quantum ad spiritualia, vicarium imponat, & relicto grege temporalibus intendat, valdè reprehensibile est, & multum longè à consilio quod Iero Moyfi: Esto, inquit, tu populo in his quæ ad Deum pertinent. Prælati *Exod. 18.* ad intendendum temporalibus alium decet substituere: ipse verò orationi & doctrinæ debet intendere. Ipse debet esse quasi medius inter Deum & populum. Aliquando debet loqui Deo pro subditis, ipsum orando: aliquando subditis pro Deo, ipsos instruendo. Quod autem nõ sit tutum vicarium ponere & gregè deferere, patet ex primo vicario synagoge. Moyfes enim

enim ascensurus ad Dominum, ad regimen populi meliorem vicarium posuit quem inuenit & tamen populus quem recedens fidelem reliquit, elapso modico tempore, ipso redeunte inuentus est infidelis. Secundum, scilicet, pro rebus temporalibus, periculis fratres exponere, personas minus securas in exterioribus officiis ponendo: vel per prioratus paruos eos dispergendo, multum est reprehensibile. Cùm enim boni pastoris sit animam ponere pro ouibus suis: longè videtur esse à bonitate pastoris, pro temporalibus rebus eos exponere lupis. Lupi infernalis est oues dispergere, secundum illud: Lupus rapit & dispergit oues. Saluatoris verò & boni pastoris est oues colligere. Qui non congregat mecum, dispergit. Et: Alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, illas oportet me adducere: vt fiat vnum ouile & vnus pastor. Visitabo oues meas, & liberabo eas omnibus locis, in quibus dispersæ fuerant: in die nubis & caliginis. Mandato Pharaonis, dispersus est populus Israël per vniuersam terram Ægypti: ad colligendas paleas. Et procuratione Pharaonis infernalis, viri religiosi de monasteriis magnis per paruos prioratus videntur fuisse dispersi: vt temporalia bona acquirerent vel conseruarent. Dispersi sunt lapides sanctuarij in capite omnium platearum. Cùm Saluator dispersos Israël congregare venerit, indiscretè videntur fecisse, qui vices eius gerebant, quando congregatos disperferunt. Item cùm Dauid qui super senes intellexit, dixerit: Ecce quàm bonum & quàm iocundum habitare fratres in vnum; temerariè egisse

Ioan. 10.

Matth. 12.

Ioan. 10.

Ezech. 34.

Exod. 5.

Thren. 4.

Isa. 11.

egisse videntur, qui eos, qui elegerant viuere in congregatione, posuerunt in dispersione. *Thomæ* *Ioan. 20.* existenti in congregatione apparuit Dominus: separato verò ab ea non apparuit. Filij Iacob congregati benedictionem patris receperunt. *Gen. 49.* Et super discipulos congregatos Spiritus sanctus descendit. *Actor. 2.* In paruis prioratibus religio annihilatur: ibi vitio proprietatis appropinquatur: meritum obedientiæ minuitur: continentia facile periclitatur. Qui solus est in prioratu, vel cum vno socio, vt frequenter ferè est proprietarius; quæ habet, pro maiori parte habet sibi. Obedientia ipsius minus meretur, cui nullus aliquid iubet: & ideo facit quod facere libet. Continentia etiam facile periclitatur: quia oportunitas peccandi habetur. Bernardus *Epist. 115.* cui- *circa finē.* dam moniali volenti deserere cōgregationem. Audi me filia, audi fidele consilium. Noli te separare à grege, ne quando lupus rapiat, & non sit qui eripiat: *Ezech. 34.* Dispersæ sunt oues meæ, &c. & factæ sunt in deuorationem omnium bestiarum agri.

Quòd prælatus debet maiora bona minoribus præponere.

CAPVT X.

Qui congregationi præest, maiora bona minoribus debet præponere. Cuius contrarium aliquibus monasteriis multum nocuit: vbi magnis expensis aqua fontis de longè adducebatur, de aqua verò sapientiæ Saluatoris non curabatur. Altaria auro & argento & lapidibus preciosis operiebantur: corpora sanctorum, qui

dum in hoc mundo viuerent, aurum & argentum contemnebant, in vasis aureis & argenteis reponebantur; parietes tam Ecclesiarum quam claustrorum depingebantur: monachi cappis sericis in missis & processionibus induebantur. cultus verò & ornatus interior, qui viros spirituales maximè decet, & Deo maxime placet negligebatur. Corpora procurabantur splendide, & non curabatur de animarum refectione. Si amittebatur a sine, quærebatur; si peribat anima, non reputabatur. Hanc inordinationem reprehendit Bernar. his verbis: O vanitas vanitatum, sed non vanior quàm infanior. Fulget Ecclesia in parietibus: & in pauperibus eget. Suos lapides auro induit, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egenorum seruitur oculis diuitum. Inueniunt curiosi quo delectentur: & non inueniunt miseri vnde sustententur. Idem: In claustris, coram legentibus fratribus, quid facit illa ridiculosa monstruositas, mirè deformis formositas, aut formosa deformitas? Quid ibi immunda simiæ, quid feri leones: quid monstruosi centauro, quid femi homines, quid maculosa tigrides: quid milites pugnâtes, quid venatores tibicinantes? Videas sub vno capite multa corpora, & rursus in vno corpore multa capita. Tã multa denique tanquam mira diuersarum formarum apparet vbiq; varietas, vt magis libeat legere in marmoribus quam in codicibus: totamq; diem occupare singula ista admirando, quam in legere Dei meditando. Proh dolor, si non pudet inemptiarum, cur non piget expensarum? Idem Oratoriorum immensa altitudines, immoderate long-

*In Apolog.
ad Guiliel.
abbatē ca.
Slt. in prin.
In Apolog.
ad Guiliel.
abbatē, ca.
Slt.*

*In eadem
Apol. iam
dicta cap.
penult. de-
clin. ad fin.*

longitudines, superuacue latitudines, sumptuosa depolitiones, curiosæ depictiones, dum in se orantium retorquent aspectum, impediunt & affectum.

Quod prælatus non debet dispensationes leuiter facere.

CAPVT XI.

Multum cauendę sunt leues dispensationes illi, qui congregationi præest. Bernardus in libro de præcepto & dispensatione: Nouit fidelis seruus & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, ibi tantum vsurpare dispensationem, vbi bonam possit habere re-
compensationem. In eodem: Remissio voti absque necessitate, non dispensatio, sed præuaricatio est. Idem in libro de consideratione: Non sum tam rudis vt ignorem nos positos dispensatores in ædificationem: non in destructionem. Denique quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Vbi necessitas vrget, excusabilis dispensatio est. Vbi utilitas prouocat, dispensatio laudabilis est: utilitas dico communis, non propria. Nam cum nihil horum est, non plane fidelis dispensatio: sed dissipatio crudelis est. Ad dispensationem duo requiruntur, scilicet auctoritas, & caussa. Altero horum deficiente, non est dispensatio. Christus cruci suæ non adhæsit leuiter, sed affixus fuit fortiter: Sic claustralis cruci religionis affixus debet esse fortiter, nec facile ab ea recedere. Galat. 5. Qui Christi sunt, carnem suam crucifixerunt. Bernardus. In crucē salus nostra est: tantum

Post 1. fol. a prin. libri numer. Lib. 3. aliquantulum ante finem.

ei

ei viriliter inhæreamus. Idem: Si pœnitentia nostra crudeli miseratione minuitur: paulatim gemmis corona nostra priuatur.

Quòd prælatus debet vniuersa temperare.

CAPVT XII.

*Cap. 64. parum à fine.
Eodem cap. circa finē.*

Qui monasterio præest, vniuersa temperare debet. Vnde Benedictus in regula: Abbas opera quæ iniungit, discernat & temperet. Item Abbas sic omnia temperet, vt sit quod fortes cupiant, & infirmi non refugiant. Temperantia ista experientiam requirit. Sicut enim vinum non bene temperatur, nisi prægustatione virtutis eius sentiatur: Sic prælati qui in conuentu nunquam iacent, vel comedunt, vel diuinum officium audiunt, onus quod conuentus sustinet, temperare nesciunt. Vnde non exhibent se patres vel prælatos, sed potius exactores; quales fuerunt exactores Pharaonis, qui à populo Deo consuetum numerum laterum exigebant: tamen paleas & quod consuetum erat eis, ministrare volebant. Exodi 5. Sic tales prælati, & contra regulam fratres onerant, & tamen eis necessaria non ministrant. Tales sunt imitatores Balaam, non parcentes a sinæ, sed eam cedentes vtique ad querimoniam. Num. 22. Congregationem enim, quæ vt iumentum apud eos facta erat, adeò stimulant, vt eam murmurare compellant. Prælatus timere debet gregi suo, exemplum Iacob. Genes. 33. Si greges meos plus in ambulando fecero laborare: morientur vna die cum ceteris greges. Et notandum, quòd sicut prælati temperare debet quæ sunt aliorum, sic & quæ sunt ipsius.

ipſius ſunt. Bona monaſterij ſunt pauperum
 Chriſti: ideo cū in Eccleſia tot pauperes ege-
 ant, non ſunt bona illa prodigè expendenda.
 Vnde dicit beatus Benedictus in regula ſua de
 cellario monaſterij: Quod non ſit prodigus aut
 extirpator ſubſtantix monaſterij: ſed omnia
 menſuratè faciat. Prælatus non debet in fa-
 ſtu huic ſæculo ſe conformare. Pauperem e-
 nira ſe debet reputare, cū in bonis monaſte-
 rij non habeat dominationem, ſed diſpenſatio-
 nem: de qua diſtriſtam rationem eum reddere
 oportebit. Sapiens: Pauper vbi cœperit diuitem
 imitari, perit. Monaſteria depauperantur, cū
 in faſtu principes imitantur. Quem faſtum Ber-
 nardus reprehendit his verbis: Quod, vt cætera
 taceam, ſpeculum humilitatis eſt, cum tanta
 pompa comitatus incedere, tantis hominum
 circuitorum ſtipari obſequiis, quatenus duo-
 bus Episcopis vnius abbatis ſufficiat multitu-
 do? Mentior, ſi non vidi abbatem ſexaginta e-
 quos, & amplius, in ſuo ducere comitatu. Dicaſ
 ſi videas tranſeuntes, non patres eſſe monaſte-
 riorum, ſed dominos caſtrorum: nec reſtores a-
 nimarum, ſed principes prouinciarum. Illas ex-
 penſas debet prælatus libenter facere, quæ va-
 lent ad conſeruationem religionis, & quibus
 vitatur occaſio diſſolutionis. Aliquando pro
 defectu, qui pro modico poſſet ſuppleri, eua-
 cuato reſectorio, cameræ replentur. Prouidere
 debet prælatus, quantum poteſt, ne dentur diui-
 tibus, vel conſanguineis vel aliis, quæ ſunt danda
 Chriſti pauperibus. Panis enim egentium, vita
 pauperis eſt. Qui defraudat illum, homo ſan-
 guinis

*Ca. 31. circa
 medium.*

*In Apol. ad
 Gulielmū
 abbatem,
 cap. penult.
 à med.*

guinis est. Eccles. 34. Item prouidere debent
furentur infideles ministri, vnde viuere debent
serui Christi: & ne egeant domestici, vnde lu-
xuriantur extranei. Cogitare debet futuram
comparationem: vt in dispensando habeat dis-
cretionem. Ideo aliqui bona sibi commissa dis-
sipant: quia de reddenda ratione non cogitant.
Prouerb. 28. Viri mali non cogitant iudicium.
qui autem inquirunt Dominum, animaduertunt omnia.

*Incipit secunda pars, in qua ostenditur quomodo
se debeat habere qui subditus est.*

Ostensum est, quomodo se debeat habere
qui congregationi præest, nunc ostende-
dum est quomodo se debeat habere, qui est sub-
ditus, qui inobedientiam specialiter debet
timere & cauere. Vnde vna de duodecim abbas-
nibus claustrum enumeratur discipulus inobedi-
ens. Vnde obedientiam specialiter amplecti de-
bet, qui in statu subiectionis est. Hæc primo
commendabitur. Secundo eius gradus distinguen-
tur. Tertio tangetur de his quæ eam iuuant.
Quarto de his quæ ei aduersantur. Quinto de
eius partibus.

*De commendatione obedientia, & detestatio-
ne inobedientia.*

Obedientia lignum vitæ est his qui apprehenderint eam: & qui tenuerint eam, beatificatus est. Simonem, id est, obedientem beatificatus est. E contrario inobedientia, lignum mortis est.

est. Fuit enim homini, caussa mortis. Et qui per
viam inobedientiae incedit, miser est & maledi-
ctus. Hæc patent Deut. 28. ex benedictionibus,
quæ fiunt his qui legi obediunt: & maledictioni-
bus quæ fiunt his qui legi non obediunt: Bern.
Inobedientiam causam mortis omnes experi-
mur: omnes morimur propter eam. Obedien-
tia scala est quam Iacob vidit. Gen. 28. Scala illa
super terram stabat, & cacumen eius cælum tan-
gebat: & angeli ascendebant & descendebant
per eam, & Dominus erat innixus scalæ. Stare
debet obedientia super terram, per cœlestem in-
tentionem: cacumen cælum tangit, quantum ad
cœli peruersionem. Perfecta obedientia imme-
diatè se habet ad cælum. Parum enim vel nihil
morantur perfectè obediens in purgatorio:
quia magni lucri est obediens, unde sufficit hic
soluere debita sua: Et quia in perfectè obedi-
te, Christus viuit & operatur: Gal. 2. Viuo ego,
iam non ego, viuit verò in me Christus; non est
verisimile quod in futuro Deus sit eorum vltor,
quorum est hic actor. Inobedientia hominem
expulit de paradiso terrestri: obedientia verò
perducit ad cœlestem. Angeli ascendunt & de-
scendunt per hanc scalam. Siue enim nobis
ministrent, siue Deo adsistant, per viam obedi-
entiae incedunt: cuius voluntatem agere inten-
dunt Dominus innixus est huic scalæ. Per viam
enim obedientiae incessit, & in mundum veni-
ens, & in mundo viuens, & de mundo transiens.
De primo legitur Ioan. 6. Descendi de cælo, non
vt faciã voluntatem meam, sed volutatem eius
qui misit me. De secundo Ioan. 4. Meus cibus
est,

est, ut faciam voluntatem eius qui misit me. De tertio Matth. 26. Non sicut ego volo, sed sicut tu. Ioan. 14. Sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Bernardus. Mementote fratres: Christus ne perderet obedientiam, perdidit vitam: & in signum, quod obediendo mandato patris mortuus est, inclinato capite emisit spiritum.

De gradibus obedientie.

CAPVT XIII.

*In serm. de
virtute o-
bedientia
& eius gra-
dibus.*

ET notandum quod Bernardus tangit septem gradus obedientie. Quorum primus est obedire libenter, quem gradum, ut ipse ait, non potest ascendere, nisi qui voluntatem precipientis suam fecerit. Voluntas vero precipientis, subditi non efficitur, nisi voluntas subditi prius abscindatur. Sicut cum fit insertio in arbore, ramus minus nobilis prius abscinditur, & post, nobilior ramus inseritur: sic voluntas propria prius abscindenda est, post voluntas eius qui loco Dei est, recipi potest, quæ pro Dei voluntate habenda est. Bernardus. Quidquid vice

*In li. de di-
spensat. &
præcepto
ante med.*

Dei præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere Deo, haud aliter accipiendum est, quam si præciperet Deus. Quid enim interest, utrum per se, aut suos ministros, siue homines siue angelos, notum facit beneplacitum Dei.

*In eodem
lib. aliquã-
tulum ante
medium.*

Idem. Ipsum, quem pro Deo habemus, tanquam Deum in his quæ non sunt aperte contra Deum audire debemus. Multi sunt qui multis annis in religione fuerunt: qui nondum primum gradum huius scalæ adscenderunt. Et notandum quod libenter obedire, præcipue laudabile est.

cum grauia iniunguntur. Vnde super illud 1. Regum. 19. Melior est obedientia quàm victima, &c. dicit glossa Gregorij. Sciendum quòd obedientia aliquando nulla est, si de suo aliquid habet; aliquando minima est, si suum aliquid non habet. Cùm enim locus superior imperatur, obedientiæ virtutem sibi euacuat, qui ad hunc proprio desiderio anhelat. Cùm verò probra & contumeliæ imperantur, nisi hoc ex semetipso animus appetat, obedientiæ sibi minuit meritum, qui ad hoc inuitus descendit. Sic Moyses principatum populi humiliter recusat: Paulus autem audacter dicit; Ego non solum ligari in Hierusalem, sed & mori paratus sum. Secundus gradus est obtemperare simpliciter. Multos enim videmus secundum verbum Bernardi post præcipientis imperium multas facere quæstiones; quare, sapius ingeminare, unde hoc venit? quis hoc inuenit consilium? Inde murmuratio, excusatio, simulatio impossibilitatis, aduocatio amicorum. In Psalm. In auditu auris obediuit mihi. Glossa. Vt ostenderet vno eodemq; momento processisse, & præcipientis imperium, & obedientis obsequium. Bernardus in libro de considerat. Omnibus nobis in conuersionis initio nulla virtus magis necessaria, quàm simplicitas humilis obedientiæ, & grauitas verecunda. Idem in sermonibus. Rara auis in terra discretio: ideò discretionis locum fratres, in nobis suppleat virtus obedientiæ, vt nihil plus, nihil minus, nihil aliter quàm imperatum fit faciatis. Idem: Non te moueat imperitus magister, indiscreta potestas: sed memento quia

*In serm. de
Virtute o-
bedientia,
& eius gra-
dibus par-
ante med.*

*Serm. 3. in
Epiph. Dns
non procul
à sine.*

*In serm. de
Virtute, o-
bedientia &
eius gradi-
bus ante
med.*



non est potestas nisi à Deo : & qui potestati resistit, ordinationi Dei resistit. Quinam simplicitatem debet habere, subditi obedientia. In Psalmo. Qui deducis velut ouem Ioseph. Ad hanc simplicitatem experiendam, antiqui patres in principio non præcipiebant fratribus recta. Unde in vitis Patrum dixit quidam Abbatii Pastori, Patres seniores non loquuntur ab initio fratribus recta, sed magis distorta : & si viderint, quia ea quæ distorta sunt, faciunt, iam eis non loquuntur, nisi quod expedit, agnoscentes quoniam in omnibus obedientes sunt. Tertius gradus est hilariter obedire, 2. Corinthiorum 9. Hilariter datorem diligit Deus. Bernardus. Serenitas in vultu, dulcedo in sermone, multum colorant obedientiam obsequentis. Nubilosa corporis compositio, & facies tenebris tristitia obfuscata, deuotionem ab animo recessisse significat. Ecclesiast. trigesimo quinto: In omni dante hilarem fac vultum tuum. Qui cum murmurant obediunt, cum praua falsa Deum pascere volunt. In Psalmo: Dederunt in escam meam lapides. Tales sunt, vt magni lapides, qui moueri non possunt, sine afflictione mouentis. Ecclesiast. ci decimo: Qui transfert lapides, affligetur eis. Tales sunt, vt rotæ carri, non solum in hoc quòd præ defectu vnctionis murmurant: sed quia vnus alterum præcedere non vult, dicentes: Quare potius mihi iniungitis quàm alteri? Ecclesiastici 33. Præcordia fatui quasi rota carri. Tales sunt, vt imagines in ædificiis, quæ sustinent columnas, in facie tristitiam ostendentes. Prælati cuius subditi cum tristitia & mur-

*In serm. de
virtute obe-
dientia &
eius gradi-
bus circa
medium.*

Eccl. 10.

mūre obediunt, similis est illi, qui habet omnia
 membra infirma, quæ necessariò haberet mo-
 uere, & nullum mouere posset sine dolore, qui
 in magna miseria esset. Prælat^o talis imperat isti,
 & illi affligitur & contristatur, & ipse cum eo,
 & sic de aliis: & ita qui obsequi debuerant, of- *Hebr. 1.*
 fendunt. Obedite præpositis vestris, & subia-
 cete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem
 reddituri pro animabus vestris, vt hoc faciant
 cum gaudio & non gementes. Hoc enim non
 expedit vobis. Quartus gradus est velociter o-
 bedire. Dicitur de Zachæo. Festinans descen- *Luc. 14. 8*
 de. Dicitur de Petro & Andrea à Domino vo- *19.*
 catis; Illi continuò relictis retibus secuti sunt *Matth. 4.*
 eum. Et similiter subditur de Iacobo & Ioanne;
 Illi statim relictis retibus & patre, secuti sunt
 eum. Hieronymus. Perfecta obedientia est, sua
 imperfecta relinquere. Manus illius tornatiles.
 In vitis Patrum, Abbas Siluanus habebat 12. di- *Cant. 5.*
 scipulos, vni eorum nomen Marcus, quem di-
 ligebat præ cæteris propter bonum obedientiæ
 quod erat in eo. Cumq; quidam dicerent ei, *In 2. parte*
 quòd alij discipuli contristarentur ex hoc, ipse *cap. 133.*
 pulsauit ad ostium vniuscuiusque, vocans eos:
 & nullus exire voluit. Tandem vocauit Mar-
 cum, qui statim exiuit, & inuenit in quaternio-
 ne, quem ille scribebat tempore vocationis, li-
 teram vltimam imperfectam, quam post voca-
 tionem, propter bonum obedientiæ, complere
 noluit. Tunc illi iudicauerunt eum esse magis
 diligendū, eò quòd magis diligeretur à Deo pro-
 pter bonum obedientiæ. Valde gratum esse so-
 let principibus, cū præcepta eorum velociter

Pro. 22. adimplentur. Vidisti virum velocem in opere suo, coram regibus stabit, nec erit ante ignobilis.

In serm. de Virtute obedientia & eius gradibus a med. Quintus gradus est viriliter adimplere mandatum. Bernardus. Manum tuam misisti ad fortia: agendum est instanter, & constanter obedendum: nec inter asperitatem verborum, tam regalis est semita relinquenda. Loquitur de semita obedientiæ. Christus hanc semitam pro morte ignominiosa relinquere noluit. Factum est obediens vsque ad mortem, &c. Bernardus. Putas obedientiæ fructum, cum subditus audiat obedientiam, quam multis expetierat votis quando ei præcipitur, quod redolet dignitatem? E contrario meritum assignat tunc illi obedientiæ, quæ terret animum audientis, grauius ad audiendum, grauius ad implendum, grauius ad tenendum. Sextus gradus est humiliter obedire. Et subdit Bernardus. Magna virtus humilitas, sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solum virtus non sit, sed etiam in superbia erumpit. Lucæ 17. Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, serui inutiles sumus. Quod debüimus facere, fecimus. Septimus gradus est indefinenter obedire. Et subdit Bernardus. Perseuerantia, singularis filia est summi regis. Idem. Quid currere prodest: & ante meam cursum deficere? Sic currite, vt comprehendatis.

Phil. 2. Eodem loco nunc proxime citato.

In serm. de Virtute obedientia & eius gradibus a med.

Eodem loco nunc citato.

De his quæ ad obedientiam iuuant.

CAPVT XV.

Item notandum quod quinque sunt quæ valent valere ad hoc, quod aliquid sit magis tractabile vel flexibile: & similia his valent ad hoc, quæ

quòd cor alicuius fit magis obediens. Primum est separatio rei ab aliqua re minus flexibili, cui adhæret: vt patet in corio adherenti ligno, quod flecti non potest nisi à ligno separetur. Sic oportet quod aliquis perfectè obediens voluntatem suam separet ab omni re temporali, & eam recolligat: vt habeat eam paratam quando mandatum superioris venerit. In Psal. Paratus sum, & non sum turbatus. Item: Paratum cor meum Deus, paratum cor meum. Bernardus. Paratum ad sublimia: paratum ad vniuersa quæcunque præceperis. Idem. Verus obediens mandatum non procrastinat: sed parat aures auditui: linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se recolligit: vt mandatum peragat imperantis. Vt Abraham, qui vt magis esset obediens Deo, Dominus voluit eum separari ab omni re temporali, dans ei tria præcepta: in quorum primo, voluit eum separare ab his à quibus ortum duxerat; Egredere de terra tua, & cognitione tua, & de domo patris tui. Secundo à seipso, quantum ad carnalia desideria; Circumcideretur ex vobis omne masculinum. Circumcisio in carne facta monebat ad refecationem superfluatorum desideriorum carnalium: ideo fiebat in membro in quo maximè concupiscentia fauiebat. Tertio ab eo quod ortum duxerat ab ipso; Tolle filium tuum vnigenitum, quem diligis Isaac. Secundum valens ad tractabilitatem est exilitas, vt patet in virga quæ propter exilitatem flexibilis est: etiam ferrum si sit tenue vel exile, flecti potest. Sic exilitas humilitatis multum valet ad obedientiam. Ideo Apostolus lo-

In meditat. cap. 4.

In serm. de virtute obed. Scius gradibus à medio.

Gen. 2.

Gen. 17.

Gen. 22.

*Phil. 2.
Lib. 14. ca.
13. circa
medium.*

Pro. 26.

*Lib. 10. cap.
29. Tom. 1.*

quens de obedientia Christi, præmittit de eius
humilitate, dicens: Humiliauit semetipsum pro
nobis factus obediens, &c. Augustinus. 14. libro
de ciuitate Dei. Obedientia nisi humilium esse
non potest. Cùm humilitas sit proprij sensus va-
cuitas, humilis habet vbi alienum sensum reci-
piat, tanquã qui vacuus est à suo. Et qui sensum
alienum recipit, nisi sit apertè malus, recipit a-
lienam voluntatem: & sic fit obediens. Super-
bus prius exhibit de sensu suo, quàm recipiat sen-
sum alienum, vel alienam voluntatem: & sic
verè obediens. Vidisti hominem sapientem sibi
videri, magis illo spem habebit insapiens. Ci-
bus in quo nimis est de sale, quasi perditus est.
Facilius sal cibo additur, quàm subtrahitur. Sic
ille in quo proprius sensus nimis abundat, non
est aptus religioni. Facilius homo simplex reli-
giosus efficitur, quàm ille. Tertium est alicuius
liquoris admixtio. Vt pellis dura vngitur, vt
fit tractabilior: Et terræ duræ aqua miscetur.
Similiter vnctio gratiæ necessaria est: vt cor ma-
gis tractabile fiat. Ideo qui in religione est, fre-
quenter Deo debet supplicare in oratione, vt o-
bediendi ei gratiam tribuat: & prælato suo be-
neplacitum suum de eo inspiret. Augustinus in
libro confession. Domine continentiam iubes
da quod iubes: & iube quod vis. A simili dice-
re debet religiosus Deo. Obedientiam iubes,
quod iubes: & iube quod vis. Quartum est ca-
lesfactio, vt patet in cera, quæ calefacta tractabi-
lior est: & in metallis, quæ ad ignem liquefactæ
formam rei cui infunduntur, faciliùs recipi-
unt: Sic accendendum est cor hominis ad obe-
diendum.

dientiam, vñctione beneficiorum iam acceptorum, & generalium & specialium. Item ostensione beneficiorum promissorum. Immittendus est etiam ignis diuini amoris in cor viri religiosi, vt cogitet qualiter Deus pro nobis obedire voluit vsq; ad mortem crucis: vt confundatur malè obediens esse ad leuia, quæ ex parte ipsius ei iniunguntur. Ignem veni mittere in terram: & quid volo nisi vt accendatur? Valet etiã ad accensionem consideratio culparum commissarum: & pœnarum quæ pro his debentur. Bernard. O si cognouisses quàm multa, & quàm multis debes: videres quòd nihil est quod facis. *Luc. 2.*

Primo, debes Christo totam vitam tuam: quia ipse pro tua posuit suã. Secundo, exigunt præterita peccata mea, totam vitam meam, vt faciam dignos fructus pœnitentiæ: & recogitem omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Quid si tertium creditorem ostendam, qui eam vendicet sibi? puto quòd desideres gloriam, quam oculus non vidit, &c. Nonne ad hanc emendam totum te, & quicquid poteris, dare oportebit? Et cum omnia compleueris, non sunt condignæ passiones huius temporis ad gloriã futurã, quæ reuelabitur in nobis. Quarto ergò creditori debes quod es, à quo totũ habes, qui te fecit, & bene facit, & cuncta ministrat. Cui horũ proponis reddere quod debes? Item valet accendendum cor ad obediendũ, misera seruitus, in qua remanet qui non proficit: & libertas & consolatio ad quæ peruenit, qui proficit. Manus fortiũ domi- *Pro. 12.*

nabitur: quæ aut remissa est, tributis seruiet. Hostes hominis remissi quotidie aliquid acquirũt

super eum: & sic in duram seruitutem eum ponunt. Homo remissus semper habet pugnam, & nunquam victoriam: nec promissam vincenti latitiam. Vincenti dabo manna absconditum. Quintum, est assuefactio. Equus acquiescit circumvolutionibus, vt facilius ad voluntatem assessoris flectatur. Religiosus qui in voluntate sua nutritur, destruitur. In vitis Patrum, Antonius præcepit Paulo simplici heremitæ, suere & dissuere vestimenta sua, texere & frangere spotulas: vt voluntatem eius flexibilem & obedientem faceret.

De his qua obedientia aduersantur.

CAPVT XVI.

Obedientiæ proprius sensus & propria voluntas specialiter aduersantur. Sensus proprius est qui non est communis. Circa quem est reprehensibilis, si sociis non sit suasibilis: reprehensibilis verò est, si non sit subiectus ei qui tenet locum Dei: maximè autem reprehensibile est, si Deo non sit subiectus. Determinandus est potius respectu superioris, quàm respectu inferioris. Sicut enim non dicitur prælatus proprietarius, quantum ad bona temporalia, si non disponat de illis ad voluntatem eius qui inferior est: sic nec dicendus est proprietarius quantum ad sensum, si sensus eius non sit subiectus sensui inferioris. Proprius sensus valde periculosus est ei qui in religione est. Bernardus in sermone. Lepra proprii consilij eo perniciosior quo occulta: & quantò plus abundat in homine, tantò sibi sanior esse videtur. Hic illorum est, qui zelum

Apo. 2.

Li. 1. in Vita S. Pauli simplici. circa med.

Serm. 3. in tempore resurrectionis, & est

*de mersio-
ne Naamã
circa me-
dium.*

lum Dei habent, sed non secundum scientiam : sequentes errorem suum, & obstinati in eo, ita vt nullis velint consilijs acquiescere. Hi sunt vanitatis diuifores, inimici pacis, charitatis expertes, vanitate tumentes, placentes sibi, & magni in oculis suis : ignorantes Dei iustitiam, & suam volentes constituere. Et quæ maior superbia, quàm vt vnus homo toti congregationi consilium suum præferat : tanquam ipse solus spiritum Dei habet ? Idololatriæ scelus est non acquiescere : & quasi peccatum ariolandi. Ecce nunc qui se faciunt religiosiores, qui non sunt sicut cæteri hominum, idololatræ & arioli facti sunt. Non debet hominem regere in claustro proprius sensus, qui eum rexit in mundo. Non debet eum habere pro duce, qui in tot foueas eum præcipitavit. Non facietis ibi, quæ nos hic facimus hodie, singuli quod sibi rectum videtur. Proprius sensus est oculus veteris hominis, oculus inquam, caligans, sicut oculi solent in senibus caligare. Oculus iste est destruendus, sicut & cætera membra veteris hominis. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram. Item Proprius sensus est oculus scandalizans & ideo eruendus. Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum, & proijce abs te. Sicut equus videns non est idoneus circuire ad molam : sic qui in religione est, non est aptus volubilitati obedientiæ, nisi oculus propriij sensus ei erutus fuerit. Proprius sensus est consiliarius infidelis : de quo non est confidendum : eo quod nimis coniunctus est carni. Noli consiliari cum socio tuo. Item iudex est, qui meritò suspectus habetur,

Deu. 12.

Cor. 3.

Matth. 5.

Eccles. 37.

*In tractat.
de gradib.
humilita-
tis, ca. in-
quirimus.
circa me-
dium.*

*In ser. de
mersione
Naaman
in Iordane.*

*Eodem loco
proxime
citato in
codē Bern.*

Eccles. 18.

tur, eò quod inordinato amore, vel odio, vel timore peruertatur. Bernard. in libro de confide. Amor vel odium, veritatis nescit iudicium. Et notandum, quòd vna ratio, quare aliquis religionem ingreditur, est hæc: vt Deus plenius in eo dominetur. Cùm aliquis vult recuperare castrũ amissum, vbi sunt multæ portæ per quas oportet eum intrare: primo oportet eum habere ingressum primæ portæ. Si non habet eius ingressum, non habet ingressum secundæ. Velut prima porta est sensus. Si non habet Deus sensum hominis: non habet eius voluntatem, nec perfectè ei dominatur. Obedientiæ multum aduersatur propria voluntas. De qua Bern. Voluntatem dico propriam quæ non est cõmunis Deo & hominib⁹: sed omni casu quod volumus, non ad honorẽ Dei vel proximi profectum, sed propter nos ipsos facimus, proprijs satisfaciẽdo affectibus. Hæc in viro religioso displicet Deo, placet diabolo, & religioni multũ nocet. Non mirum si Deo multũ displicet, cùm dominiũ suum ei auferat. Gregorius de superbo: Quasi à se iugum dominationis conditoris excutit, cui per inobedientiam subesse contemnit. Bern. Propria voluntas, recta fronte cõtraria est charitati, qua Deus est aduersus huiusmodi exercens inimicitias. Quid enim odit Deus vel punit, nisi propriam voluntatẽ? Cesset propria voluntas: & infernus non erit. Diabolo multũ placet. A voluntate tua auertere. Si præstes animæ tuæ concupiscentias eis, faciet te in gaudium inimicis tuis. Propria voluntas multum nocet & ei in quo est, & cæteris qui in con-

grego

gregatione sunt. Cæteris nocet scandalizando
 eos. Bern. Vnde scandala: nisi quòd sequèdo vo- *In ser. de*
 luntatem propriã, & quod apud nos temerè dif- *subiectione*
 finimus, si quomodo prohiberi cõtingat vel im- *propria vo-*
 pediri, statim in murmur & scandalũ prorum- *luntatis à*
 pinus? Sibi in quo est, multũ nocet. Primo Dei *medio.*
 beneficia subtrahendo. Gregor. Dignum est, vt
 ab eius beneficijs sit quilibet extraneus, qui eius
 iusionibus non vult esse subiectus. Secundo,
 meritum eius euacuando: Quare ieiunauimus, *Isai. 58.*
 & non aspexisti? Et subditur: Ecce in die ieiunij
 vestri inuenitur voluntas vestra. Bern. Grande *Serm. 71.*
 malum propria voluntas, qua fit vt bona tua, *super Can-*
 bona non sint: quia non sapit Deo ieiunium, *tic. in med.*
 quod non sapit obedientiam, sed vitium pro-
 priæ voluntatis. Ego autem in silentio, & in om-
 ni obseruantia regulari, id ipsum sentio. Tertio,
 eum confundit. Cõfundetur Israël in volunta- *Osea 10a*
 te sua. In hoc confundetur, qui propriã volun-
 tatem sequitur, quia contrarium ei accidit eius
 quod intendit. Quærit alicubi consolationẽ, &
 ex hoc postea maiorem habet desolationẽ: vel
 in remorsione conscientie, vel in punitione pœ-
 nitentię, vel in infirmitate, quæ quandoque ex
 hoc sequitur. Qui plus vult facere volunta-
 tem suam in religione, plus cogitur facere
 contra eam. Cũ enim talis non habeat gra-
 tiam illam apud DEVM vel homines, quam ha-
 bet verus obediens, multa non conceduntur
 sibi, quæ conceduntur verè obediendi. Ionas
 qui effugere voluit, vt Dei voluntatem non *Lib. 6. mor.*
 impleret: impleuit eam inuitus. Gregorius: *cap. 13. in*
 Ecce Ionam fugituum DEI, tempestas in- *princip.*
 uenit,

uenit, fors ligat, mare suscipit: & quia actoris voci obedire renititur, ad locum, quo missus fuerat, suo carcere reus portatur. Quarto hominem in afflictione ponit, vnde Saul inobedientem malignus spiritus exagitat. 1. Reg. 16.

De partibus obedientia.

CAPVT XVII.

Eccles. 10.

Prou. 30.

Lib. 35. moral. cap. 33. in principio.

In lib. de dispens. & precepto inter prin. & med.

DE partibus obedientia notandum, quod est obedientia reprehensibilis, & est obedientia commendabilis. Obedientia reprehensibilis triplex est. Prima est, cum aliquis obedit creaturae inferiori homine, vt pecunia. Pecunia obediunt omnia. Secunda est, cum ex remissione superioris, & ceruicofitate inferioris accidit, quod ille obedit qui debet imperare, & membrum inferius est super verticem: & qui debuit esse supra, est infra. Per tria mouetur terra, & quartum non potest sustinere: per feruum cum regnauerit. Tertia est, cum aliquis suo superiori in malo obedit. Gregor. in moral. Nunquam per obedientiam malum licet fieri. Aliquando autem licet bonum quod agitur, per obedientiam intermitteri. Idem. Caueant subditi, ne plus quam expedit sint subiecti: ne dum plus quam expedit student subijci, superiorum compellantur vitia venerari. August. Sic modus obedientia tenendus est, vt bonis in malo non consentias: malis in bono non contradicas. Obedientia commendabilis duplex est. Quaedam sufficiens, quaedam abundans. Sufficiens est voluntas implendi preceptum vel mandatum superioris

iuxta

iuxta modum professionis. Et intellige præceptū, vbi est coactio imperij: mandatū verò, vbi non est. Bern. Modus obeditionis est tenor professionis. Nec se valet extendere potestas imperantis: nisi quantum attingit votum obedientis. *Eodem loco nunc citato.*

Idem. Nil mihi prælatus prohibeat eorum quæ promisi; nec plus exigit. Vota mea nec augeat sine mea voluntate: nec minuat sine necessitate. *Eodem lib. inter prin. csp. & med.*

Idem. Est quidam obedientiæ limes secundum tempus, ipsa temporis extremitas, vt is sit finis obedientiæ, qui est vitæ. Abundans obedientia est, cum aliquis obedit in his, ad quæ ex voto professionis non tenetur. Bernard. Subiectus huiusmodi obedientiam, quæ finibus cohibetur, nouerit imperfectam. Nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustijs professionis, largiori fertur voluntate in altitudinem charitatis: & ad omne quod iniungitur, spontaneo vigore liberalis alacrisq; animi, modum non cōsiderans, in infinitatem extenditur. Et notandum quòd ad perfectionem obedientiæ pertinet non solum facere quod iubetur: sed sicut iubetur. Dicitur de Abraham, quòd circumcidit carnem præputij eorum, statim ipsa die sicut præceperat ei Dominus. dicitur de Ioseph, quod fecit, sicut præcepit ei angelus. Et sicut mandatum dedit mihi pater, sic facio. Et notandum quod Bernardus tres gradus obedientiæ distinguit his verbis; Bonus obedientiæ gradus est, si propter metum gehennæ seu propter professionē factam, quis obediat: Melior cum ex Dei amore obeditur. Illa quippe necessitatis *med.*

Eodem loco nunc citato.

Eodem lib. inter prin. csp. & med.

In lib. de dispen. & præcep. inter prin. & med.

Gen. 17.

Matth. 1. Ioan.

In li. de dispen. & præcep. inter prin. & med.

storis
nissus
o ho-
bedi-
16.

quod
obe-
hen-
bedit
Pecu-
ex re-
rioris
are, &
& qui
ueetur
fer-
liquis
moral.
feri.
r, per
abdi-
dam
orum
mo-
malo
dicas.
uadā
olun-
ioris
iuxta

tis est: ista charitatis. Illum autem optimum obedientiæ dixerim gradum, cum eodem animo recipitur, quo iniungitur: ut scilicet plus velit qui exequitur, quàm vult ille à quo iubetur. Idè, Nouit verus obediens & minima non contemnere: & maxima maximè curare. Et notandum, quòd religio, vbi sola seruantur præcepta, multum est dehonestata. Auris enim obedientiæ in maiori parte in ea est mutilata, cum in religione benè ordinata, plura mandata continentur in regula & constitutionibus, quàm præcepta: & plura mandètur à superioribus, quàm præcipiantur. Qui sic obedit, magnam partem census, vel seruitij domino debiti, retinet infideliter: & quasi furatur. Et est similis furi in primo furto deprehensò: cui pars auriculæ est amputata. Talis obedientia parum videtur esse grata Deo. Quis enim est dominus terrenus, qui velit habere seruientem, qui nihil pro eo faciat, nisi quod præcipiat ei, titione eleuato, vel gladio euaginato? Sic iubet, qui dicit, præcipio. Tale enim est, quasi diceret: Si non feceris, mortis æternæ gladio occideris. Item parum est obediens, qui ad plura non est obediens. In iure enim diuino, & in iure positiuo, & in statutis religionum, quæ bene sunt instituta, plura mandantur: quàm præcipiantur. Item parum est gratus domino seruus, qui non potest induci ad eundem ad locum, ad quem à domino mittitur, nisi prius ligetur. Præceptum est vinculum quo malè obediens ligatur. Item infirmus est molestus medicanti & custodienti, quem oportet ligari. Item com-

pediri

pediri præcepti violentia, non pertinet ad bonum filium, vel etiam ad seruum beneuolum: sed ad maleuolum: Seruo maleuolo, tortura & *Eccl. 33.* compedes. Cùm voluntas fit radix merendi, magis voluntarium videtur esse magis meritorium: & obsequium quod minus gratum habetur. Parum est voluntarium, quod violentia præcepti à subdito extorquetur.

INCIPIT TERTIA PARS, CONTINENS VNUM CAPITULUM, IN QUO AGITUR DE MINISTRIS.

CAPVT I.

OSTENSVM est, quomodo subditi in religione debeant se habere: nunc tangendum est aliquid de ministris, qui bona temporalia habent dispensare. Circa quos specialiter est cauendum, ne indiscretè multiplicentur. Secundùm B. Benedict. in regula: *V. Cap. 31. in prim.* Vnus debet esse cellarius, qui omni congregationi sit sicut pater: & curam gerat de omnibus. Quod Abbas iusserit, debet facere: quod prohibuerit, non debet præsumere. Si congregatio fuerit maior, ad solatium debent ei dari, qui eum adiuuent: vt ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Non est secundum regulã, vt multi sint principales, bona monasterij dispensantes, sed vnus. Ille non solum conuentus, sed infirmorum, pauperum & hospitem curam debet gerere. In multis tamen monasteriis occasione infirmorum, pauperum & hospitem, & eo-

Ioan. 12.

*In regula
3. circa
principiū.*

& eorum quæ ad ecclesias pertinent aliquibus personis non solum bonorum temporalium dispensatio, sed etiã donatio data est vel permissa: vt bona illa dispensent, non secundum prælati iussionem, sed secundum suam voluntatem: vt non solum de illis officium sibi iniunctum impleant, sed etiam sibi prouideant; & quæ abundant, vel prodigè alijs distribuunt, vel auarè sibi custodiant. In congregatione cui Christus præfuit, vnus fuit dispensator, & ille fuit latro; dicitur de illo, quod fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur portabat. In multis verò monasterijs multiplicati sunt bonorum temporalium dispensatores, & multiplicati sunt latrones. Sicut enim Iudas ea quæ danda erant pauperibus, dabat vxori & filijs: sic tales quæ danda essent Christi pauperibus, dant attinentibus sibi. Et sicut sunt similes Iudæ in culpa: sic frequenter sunt similes ei in pœna. Iudas occasione huius peccati in maius peccatum incidit, vt Deum venderet, & desperans laqueo se suspenderet. Sic tales postquam defraudando pauperes Christi, peccauerunt in proximum; indignè celebrando, vel simoniam committendo, peccant in Deum: & sine pœnitentia morientes, infernale incurrunt supplicium. Qui in religione fratribus ministrant, solliciti debent esse, vt ministrando, Deo placeant: cuius sunt bona, quæ dispensant, & familia, cui illa dispensant. Non debent ea nec auarè retinere, nec prodigè expendere. Cauere debent à personarum acceptione. Augustinus in regula sua: Distribuatur vnique vestrum à præposito vestro victui

victus & regumentum: non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes: sed potius unicuique sicut cuique opus fuerit. Sic enim legitis in Actibus Apostolorum, quia erāt illis omnia communia: & distribuebatur unicuique sicut cuique opus erat. Sine murmure debent ministri fratribus seruire: & sine dilatione ea quibus indigent, dare. Augustinus in regula: Siue qui cellario, siue qui codicibus, siue qui vestibus præponuntur: sine murmure seruiant fratribus suis. Idem: Vestimenta & calceamenta, quando fuerint necessaria, dare non differant, sub quorum custodia sunt quæ poscuntur. Idem: Maledictus dispensator avarus, cuius largus est dominus. Item: Ministri monasterij ne indignentur, vel ex conditione iubentis, vel ex conditione ministerium suscipientis. Attendere debent, iussionem prælati, iussionem esse Dei, secundum illud: Qui vos audit, me audit. Item attendere debent, ministerium quod exhibetur minimo fratri, Christo exhiberi: secundum illud: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ei ministrare nulli est dedecus, sed honor magnus: cum ille, quo inter natos mulierum maior non surrexit, dicat se dignum non esse, vt soluat corrigiam calciamenti eius. Item attendere debent, dominum indigno humile ministerium exhibuisse, scilicet proditori suo Iudæ. Attendere etiam debent, quod angeli hominibus quantumcunque vilibus non dedignantur ministerium exhibere. Videte ne contemnatis vnū ex his pusillis. Angeli enim eorum semper vident faciem patris

*In 3. regu-
la cap. 34.
tom. 1.
Ibidem ca.
36.*

*Luc. 10.
Matth. 25.*

Matth. 18.

X

patris

Iob. 22.

patris mei, qui in cœlis est. Item attendere debent gloriã præmij, quã habebunt ex humilitate ministerij. Qui humiliat^o fuerit, erit in gloria.

INCIPIT QUARTA PARS, IN QUA ostenditur, quomodo se debent habere, qui fuerunt diuites in sæculo, & qui fuerunt pauperes.

CAPVT I.

CONSEQUENTER ostendendum est, quomodo se debeant habere in monasterio & qui in sæculo fuerunt diuites : & qui fuerunt pauperes. Quod ostendit Augustinus in *Parum à prin. reg. 3.* regula sua his verbis : Qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi sunt monasteriũ, libenter velint illud esse commune : qui autem non habebant, non ea quærant in monasterio, quæ nec foris habere potuerunt. Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiã si pertas eorum, quando foris erant, nec ipsa necessaria poterat inuenire. Non tamen ideopotent se esse foelices, quia inuenerunt victũ & gumentum, quale foris inuenire non potuerunt, nec erigant ceruicem, quia sociãtur eis, ad quæ foris accedere non audebant : sed sursum habeant, & terrena vanè non quærant : ne incipiant monasteria esse diuitibus vtilia, pauperibus : si diuites illic humiliantur, & pauperes inflantur. Rursum illi qui aliquid habebant esse in sæculo, non habeant fastidium fratres suos, qui ad illam sanctam societatem paupertate venerunt. Magis autem studeant

non de parentum diuitum dignitate, sed de pauperum fratrum societate gloriari. Nec extollantur, si communi vitæ aliquid de facultatibus suis contulerunt; nec de suis diuitijs magis superbiant, si eas monasterio partiuntur, quam si eis in sæculo fruerentur. Alia quippe quæcunque iniquitas in malis operibus exercetur, vt fiant: superbia verò bonis operibus insidiatur, vt pereant. Idem: Qui infirmi sunt ex pristina consuetudine, si aliter tractantur in victu, non debet molestum esse, nec iniustum videri eis, quos fecit aliqua consuetudo fortiores. Nec illos scæliciores putent, quia sumunt quod non sumunt ipsi: sed sibi potius gratulentur, quia valent quod non valent illi. Et si eis qui venerunt ex moribus delicatioribus ad monasterium, aliquid alimentorum, vestimentorum, operimentorumve datur, quod alijs fortioribus, & ideo scælicioribus, non datur, cogitare debent quibus non datur, quantum de sua sæculari vita illi ad istam descenderint: quãuis vsque ad aliorum qui sunt corpore fortiores scælicitatem peruenire non potuerunt. Nec debent velle omnes quod paucos vident amplius, non quia honorantur, sed quia tolerantur, accipere; ne contingat detestanda peruersitas, vt in monasterio, vbi quantum potest fiunt diuites laboriosi, fiant pauperes delicati. In quibusdam tamẽ monasterijs multa circa hæc peruersitas inuenitur: vt scilicet aliqui ibi velint habere abundantiam, qui in sæculo habuerunt penuriam. Aliqui enim iuxta verbum Hieroditiores sunt monachi, quam fuerint sæculares.

*In 3. regula
cap. 14.*

& possident opes sub Christo paupere, quas sub locuplete diabolo non habuerant. Aliqui etiam delicata ibi querunt, qui vix in sæculo pané sufficienter habebant de quibus dicit Hierō. Nati in paupere domo, in tugurio rusticano, qui vix milio, cibario pane ventrem rugientem satiare poterant, nunc simlam & mella fastidiunt. Ibi etiam aliqui volunt honori haberi, qui in sæculo fuerunt despecti. Bern. Pleriq; in domo Dei non patiuntur haberi contemptui, qui in sua nisi contemptibiles esse potuerunt. Ibi etiā aliqui volunt sibi nomen facere, qui in seculo nullius nominis fuerūt. Bern. Qui antea in suo opido vix cogniti fuerunt, modò circumeunt prouincias, curias frequentātes, regum notitias & principum familiaritates cōsecuti sunt. Item aliqui qui in sæculo ducebāt vitam laboriosam, contra consuetudinem suam volunt ducere vitam otiosam; quod non solum animabus, sed etiam corporibus est nociuū. Vnde medici mittunt ægrotantes ad consueta. Ministranda sunt necessaria etiam his qui in sæculo pauperes fuerunt. Primò, vt periculum acceptionis personarum caueatur; quod peccatū dissuaderetur: Fratres mei nolite in personarū acceptione habere fidem Dñi nostri Iesu Christi. Secundò, vt murmur & scandalū pusillorum vitetur: q̄ multum timendum est; Quicumq; scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credūt, expedit, vt suspendatur mola asinaria in collo eius. Tertio propter honorem Christi, qui sibi reputat fecisse quod fit pauperi; Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Ad honorem cœlestis regni faci-

*Homil. 4.
super mis-
sus est à
medio.*

*Homil. 4.
super mis-
sus est à
medio.*

Iacob. 3.

Matth. 18.

Matth. 25.

facit, quod ministris eius sufficienter necessaria ministrantur. Quartò, quia maius est meritum in his quæ pauperibus ministrantur, quàm in his quæ diuitibus ministrantur: quia Deus solus ad hoc mouet, in his verò quæ ministrantur diuitibus, frequenter mouet aliud. Vltimò, quia bona monasterij pauperum sunt, etiam antequàm monasterium ingrediantur: quanto magis postquam ingressi sunt: & in domo Dñi laborant? Dignus *LUC. 10.* est enim operarius mercede sua.

INCIPIT QVINTA PARS, IN QVA
agitur de infirmis.

CAPVT I.

VLTIM ò in hoc quinto libro ostendendum est, qualiter se debent habere infirmi. Multa verò sunt quæ ad infirmitatē pertinent, de quibus. XII. tangere sufficiat. I. est vt attendat, à quo infirmitas detur. II. est vt attendat, ad quid datur. III. est vt aduertat, quantum donum Dei fuit sanitas quàm prius habuit. IIII. est vt cogitet, quanta est vtilitas infirmitatis. V. est, vt Deo & ministrantibus sibi propter Deū valde gratus existat. VI. vt si quem defectum temporalium habet, patienter sustineat. VII. est vt expedientia infirmitati suæ potius, quàm delectantia appetat. VIII. vt exempla sanctorum ad sui consolationem ad memoriam reuocet. IX. vt spe euasionis maiorum malorū, & spe æternorum bonorum, afflictionem suam alleuiet. X. vt timorem Domini cordi suo infigere studeat. XI. vt alijs compati ad-

discat. XII. vt si ei in infirmaria deest necessitas, habeat in patientia: vitam verò communem in desiderio habeat, & cessante necessitate ad eam lætus redeat. Attendere debet, infirmitatem datam esse à patre luminum & misericordiarum, qui non daret filijs suis, nisi quod sit eis expedire, & ideo grater debet eam recipere. Ad quod monemur exemplo Saluatoris: Calicem quem dedit mihi Pater, non vis vebam illum? Attendere debet ad quid datur, & ad minus hoc debet intelligere, quòd iumentum videtur cognoscere cum percutitur, quòd scilicet percutitur, vel quia extra viam est, & ad viam redit: vel quia nimis lentè incedit, & gressum suum accelerat. Scrutari debet conscientiam suam, quem Dominus infirmitate percutit, & si extra viam paradisi se inuenit, computgi & confiteri: si verò non inuenit se extra viam paradisi, cogitare debet quòd piger erat ad bene operandum: & proponere quòd ad bonum feruentior erit. In Psal. Multiplicate sunt infirmitates eorum: postea accelerauerunt. Attendere debet quid ei Deus dedit, cum dedit sanitatem: intelligere facit infirmitas, quid valeat sanitas. Qui nunquam fuit infirmus, nescit quid habet, cum sanitatem habeat: ideo nec Deum pro ea debito modo diligit, nec ei gratus existit. Cogitare etiam debet, quanta sit infirmitatis vtilitas. Illa hostem domesticum debilitat: & sic hominè interiorem roborat. *Ber.* Quid mirum si hoste debilitato tu fortior efficiaris? Infirmitas corporis infirmitatem periculosiorè sanat, scilicet infirmitatè mentis. *Eccl.*

Ioan. 18.

*Serm. 29.
in Cant. à
medio.*

Infirmetas grauis, sobriam facit animã. Dicit B.
 Greg. de B. Benedicto, qui ppter tentationẽ car-
 nis posuit se in spinis, quòd vulnere carnis, sana-
 uit vulnera mentis. Idẽ: Quis nesciat quòd mul-
 to melius est ardere flãmibus febriũ quàm igne vi-
 tiorũ? Et tamen cùm febre corripimur, quia vi-
 tiorum estum qui occupare nos poterat, cõfide-
 rare negligimus, de psecutione murmuramus.
 Idem: Durũ non æstimes esse quod pateris: ex-
 ternis cruciatibus ab interna passione liberaris.
 Item infirmitas virtutem perficit, secundum il-
 lud: Virtus in infirmitate perficitur. Infirmitas
 etiam hominẽ probat: Quia acceptus eras Deo;
 necesse fuit vt tentatio p̄baret te. Probauit me
 quasi aurum q̄ per ignem transit. Senec. Non in
 mari tantũ, aut in p̄lio vir fortis apparet: ex-
 hibetur etiam in lectulo virtus. Multum etiã est
 vtilis infirmitas. Vnde in vitis Patrum, cùm qui-
 dam peteret à Ioanne heremita, vt sanaret eum
 à tertiana. Respondit: Rem tibi necessariã cupis
 abijcere. Vt enim corpora ferro à vitio, ita ani-
 ma languorib⁹ & castigationibus purificatur. Et
 quidã senex infirmitati discipulo dixit: Ne con-
 tristeris ex infirmitate vel plaga corporis. Si e-
 nim ferrũ es, rubiginem per ignẽ amittis: si ve-
 rò aurũ es, per ignẽ probaris, & ad maiora pro-
 ueheris. Et cùm quidam miles rogaret quẽdam
 virum sanctũ, vt à morbo liberaret eum p̄cibus
 suis: Vir sanctus audito ab eo, quòd melior esset
 in ægritudine & deuotior quàm in sanitate, di-
 xit: Oro Deum vt seruet te in quo melior es.
 Frater multum debet esse gratus Deo, & mi-
 nistranti sibi propter DEVM. In monasterio

Lib. 2. dia-
 log. cap. 2.
 in medio.
 Lib. 34.
 moral. cap.
 23. circa
 medium.

1. Corinth.
 12.
 Tob. 12.
 Tob. 23.
 Ex epist.
 79. ame-
 dio.

P. P. In Vi-
 ta de S. Io-
 an. Aegy-
 ptio Here-
 mita.

enim ordinato homines gratis recipiuntur, & gratis eis ministratur. Non enim qui eis ministrat, ab eis ministerij mercedē expectat: & quasi sine merito eorum eis ministrat. Etenim si laborant, pro æternis est labor ille: nō pro terrenis. Vnde valdē gratum debent habere: quōd Deus gratis fecit eis prouideri. Non est principale, quod ministratur, sed adijcitur. Hęc omnia adijciētur vobis. Victu magis tenui debet esse cōtētus, qui expectat mercedem magnā, quā qui expectat nullam. Et si aliquem defectū sustineant, patienter debent illud sustinere: cūm Deus sit monasterij prouisor: & illum defectum, medicinalem subtractionem debent reputare. August. Scit cœlestis medicus, quid nobis daturus sit ad consolationem: & quid subtracturus ad exercitationem. Non enim homo sine causa iumento suo cibaria detrahit. Non debet ibi esse murmur, quia contra Deum esset, qui prouisor est: Non contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum. Vsq̄uequo multitudo hęc pessima murmurat contra me? Cor debet esse firmum, vt non dissoluatur abundantia: nec murmuret penuria. Optimum est gratia stabilire cor, non escis quæ non præferunt ambulantes in eis. Multum est cauendum a murmure in claustro. Murmuratio vna est de duodecim abusionibus claustri. In vitis Patrum dicit abbas pastor: Qui querulosus est, monachus non est. Expedientia magis quā delectantia debet velle. Vnde August. in regula sua: Si velis fortē non expedit: suæ cupiditati non est obediendum. Idem: Vtrum sanando dolori quod

Matth. 6.

Exod. 16.

Num. 14.

Hebr. 6lt.

*In 3. regul.
cap. 31.*

delectat expediat, si non est certum, medicus
 consulatur. Exemplis sanctorum debet se con-
 solari. Hanc autem tentationem ideo permisit
 Dominus euenire illi, vt posteris daretur ex-
 emplum patientiæ eius: sicut & sancti Iob. Et
 post: Non est contristatus contra Deum, quod
 plaga cæcitatæ eueniret ei: sed immobilis in Dei
 timore permanfit, agens gratias Deo omnibus
 diebus vitæ suæ. Sufferentiam Iob audistis. Gre-
 gorius. Facta præcedentium patrum recolamus:
 & non erunt graua quæ toleramus. Spe eua-
 sionis maiorum malorum, debet afflictionem
 suam alleuiare. Magna misericordia est, quod
 Deus pro malis futuris, quæ meruit homo, acci-
 pit infirmitates, vel alia mala præsentis vitæ.
 Tale est, ac si ille cui debentur marchæ auri &
 argenti, reciperet pro eis fabas, vel lapillos, pro
 quibus computatio facta est. Plus enim est faba
 vna respectu marchæ argenti: quàm tribulatio
 præsens respectu pœnæ futuræ. Diem pro anno
 dedi tibi. Item consolari debet magnitudine
 mercedis. Augustinus. Gaude sub flagellis: quia
 tibi seruetur hæreditas. Illis ad tempus parcit,
 quos in æternum damnabit. Idem: Non timeas
 flagellari, sed exhæredari. Gregorius: Nisi cor-
 rectis Dominus dare disponderet hæreditatem,
 erudire eos per molestias non curaret. Timoré
 Domini debet cordi suo infigere, vt per pœ-
 nam quam patitur, pœnam futuram intelligat.
 Gregorius. Si tam asperè Deus percutit vbi par-
 cit, quàm asperè percutiet, vbi non parceret? Co-
 gitare debet quomodo poterit ignem sustinere,
 qui non potest sustinere modicum calorem fe-

Thob. 2.

Iacob. 5.

*Lib. 4. in li.
 regum. in
 prin. habet
 aliquid
 tale.*

Ezech. 4.



brilem? Febris enim est calor, non ignis. Item qui non potest sustinere ignem in vno digito, quomodo poterit sustinere quòd corpus & anima sunt in igne grauiori? Item qui non potest sustinere ignem ad momentum, quomodo poterit illum sustinere in æternum? Compassionem addiscere debet. Nescit infirmus compati, qui infirmitatem passus non est. Qui omnium habebat notitiam, compassionem voluit addiscere per experientiam. Non enim habemus pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris. tentatum autem per omnia. Cessante necessitate ad communem vitam libenter debet redire. Vnde Augustinus in regula sua dicit de infirmis: Cùm vires pristinas reparauerint, redeant ad scèliciores consuetudinem suam, quæ famulos Dei tantò amplius decet, quantò minus indigent: ne cibi eos teneat voluptas, iam vegetatos, quos necessitas leuarat infirmos.

Hebr. 4.

*Paulo ante
medium.*

Finit liber quintus.



AD